


NOTATIONES
DE PECCATIS.



NOTATIONES DE PECCATIS

QUAS

AD USUM AUDITORUM SUORUM

CUM LICENTIA ORDINARII

TYPIS MANDARI CURAVIT

J. W. S. VAN EGEREN.

Professor Theologiae Moralis in Seminario Rysenburgensi.


(EXTRA COMMERCIUM PUBLICUM.)

ULTRAJECTI
APUD VIDUAM J. R. VAN ROSSUM.

MDCCCLXXXIII.

55^a





NOTATIONES DE PECCATIS.

P A R S P R I M A.

DE PECCATIS IN GENERE.

PRAENOTANDA.

De varia acceptione peccati, theologicice spectati.

1) Varia, inquit Theol. Wirceb., est peccati acceptio in Sacris Litteris eaque saepius tropica et improppria scilicet: 1^o. pro *poena* peccati ut in Levitico XX : 20 „*portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur*” et in 2 Machab. X : 46 „*sancta ergo . . . est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur;*” 2^o. pro *effectu* peccati praeteriti et *causa* novi; hoc sensu Apostolus in Epist. ad Rom. VII : 17 concupiscentiam peccatum appellat, de quo Concilium Tridentinum Sess. V in decreto de peccato originali sic statuit „*hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat sancta synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprio in renatis peccatum sit sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat;*” 3^o. pro *materia* in qua vel circa quam peccatur, sic vitulus aureus a Moyse peccatum dicitur in libro Deuteron. IX : 21:

„peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi;” 4º. pro hostia et sacrificio pro peccato oblato, sic Apostolus 2 Corinth. V : 21, de Christo ait „eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.”

Proprio autem sensu, ex primitiva significatione ipsius vocabuli peccare (i. e. aberrare seu deficere a debito fine) deducto, peccatum accipitur pro defectione naturae rationalis a fine suo ultimo nempe Deo, quae quidem defectio quatenus ex abusu libertatis primi parentis orta, propagatione transfusa est omnibus, peccatum originale seu *haereditarium* vocatur, de quo agit Theologia Dogmatica, quatenus vero ex abuso libertatis propriae oritur defectio ista, peccatum *personale* audit, de quo solo in praesenti tractatu disseremus, diligentur investigaturi ejus naturam, subiectum, causas, divisiones ac proprietates.

CAPUT PRIMUM.

De natura peccati.

2) Peccatum recte definitur: libera transgressio legis divinae, sive, cujuscumque legis in conscientia obligantis; vel paulo latius cum S. Augustino contra Faustum Libro 22 Cap. 27: *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei aeternam*, in qua ultima definitione, cui subscribit S. Thomas 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 7, Art. 6 et cum eo communiter Theologi, duo verba subintelligi debent, quae si addantur, plenior erit peccati definitio in hunc modum: *peccatum est voluntarium dictum, factum, concupitum aut voluntaria omissio contra legem Dei aeternam.*

Dicitur 1°: *dictum, factum, concupitum*, quia omne peccatum vel in sola voluntate immanet ut volitiones, intentiones, desideria mala et sic est *concupitum* seu peccatum *cordis*; vel verbo aut signo erumpit ut blasphemiae, detractiones, mendacia et sic dicitur generatim *dictum* seu peccatum *oris*; vel etiam ipso facto aut opere externo patratur et sic generatim dicitur *factum* seu peccatum *operis*. Unde confiteri solemus quia peccavimus nimis *cogitatione, verbo et opere*.

Dicitur 2°: *voluntarium*, quia necesse est ad rationem peccati ut sit voluntarium i. e. ut a libero voluntatis consensu procedat. Vide Tract. de Actibus Hum. n°. 29.

Unde merito docet S. Thomas 2^{da} 2^{dae} Quaest. 77, Art. 6: peccatum essentialiter consistit in exercitio liberi arbitrii, et S. Augustinus in libro de vera religione cap. 14: usque adeo peccatum est voluntarium, ut si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit.

Dicitur 3°: *voluntaria omissio* (scilicet dicti, facti, concupiti); quia ex Angelico, de veritate Quaest. 15, Art. 4: agere et non agere cum quis agere debet ad idem genus actus reducuntur secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur; quapropter aequo peccat qui non dicit facit aut concupiscit quod praecipitur, atque is qui dicit, facit aut concupiscit quod prohibetur.

Dicitur 4°: *contra legem*; ubi enim non est lex, inquit Apostolus ad Rom. IV: 15, nec *praevaricatio*; et S. Augustinus in psalmum 118, „nullum est utique sine *praevaricatione* peccatum, nulla autem est *praevaricatio* sine lege; nullum est igitur nisi in lege peccatum.”

Dicitur 5°: *contra legem Dei aeternam*; quia uti ex tract. de legibus n°. 11 constat, lex aeterna fons est et

fundamentum aliarum legum, quatenus ex lege aeterna omnes leges reliquae vim obligandi repetunt.

Unde fit ut violari non possit aliqua lex etiam humana, quin simul offendamus in legem aeternam, quae jubet ut nostris legitimis superioribus aliquid juste praecipientibus obediamus.

3) Notandum. Quum igitur peccato essentiale sit, quod repugnet *legi divinae*, consequens est omne peccatum revera esse *offensam Dei*; non quidem eo sensu ac si Deus aliquid pati vel de infinita sua beatitudine aliquid de perdere posset, sed hoc sensu, quod peccatum, *quantum ex nobis*, in Dei injuriam et practicum quemdam ipsius contemptum cedat. Quodsi autem omne peccatum sit offensa Dei, necessario iterum sequitur, admitti non posse peccatum mere philosophicum i. e. peccatum quod repugnaret rectae rationi, quin tamen esset Dei offensa. Confer. Bouvier, pag. 3 ubi praelestim adverterenda est propositio de peccato mere philosophico, damnata ab Alexandro VII.

4) Quo melius intelligatur natura peccati, operae praetium erit ex theologis notare et paucis explicare distinctionem quam facere solent 1º. inter formale peccatum et materiale peccatum; formale peccati et materiale peccati; 2º. inter peccatum actuale et habituale; 3º. inter peccatum et vitium.

Ad 1º. *Formale peccatum* est peccatum proprie dictum ut supra n°. 2 definitum scilicet: transgressio legis *libera* et voluntati ad culpam imputabilis v. g. voluntarius esus carnium in die jenunii contra prohibitionem Ecclesiae.

Materiale peccatum est transgressio legis *non libera* et consequenter voluntati ad culpam non imputabilis v. g. esus carnium in die jejunii ex ignorantia inculpabili seu

invincibili. Inde peccatum materiale proprio sensu nec peccatum nec offensa Dei est, sed tantum violatio legis objectiva.

Materiale peccati est ipse actus physicus sive ipsum dictum, factum aut concupitum quo legem libere transgredimur v. g. ipse esus carnium in die jejunii contra prohibitionem Ecclesiae.

Formale peccati est ipsa peccati malitia, ipsa inordinatio ac difformitas actus peccaminosi, quae in definitione peccati expressa est per verba *contra legem Dei aeternam*.

Itaque materiale peccati et formale peccati per modum materiae et formae constituunt peccatum formale.

NOTA. Multum interdum apud theologos agitata est quaestio, in quo praecise consistat formale seu malitia peccati; num sit aliquid positivum vel privativum? de his vide Bouvier, pag. 3.

Ad 2^{um}. Distinctio peccati in *actuale* et *habituale* non denotat duo peccata diversa, quorum unum *actuale* est, alterum *habituale*, sed unum idemque peccatum quod pro duplice statu in quo consideratur *actuale* vel *habituale* dicitur. Peccatum siquidem quocumque *actu* committitur; sed *actu* transeunte non cessat quia peccantem relinquit peccatorem; et hinc peccatum quocumque considerari potest in *statu actus*, dum committitur, et est *actuale*, quod definitur: ipsa praesens legis transgressio; aut in *statu habitus* qui transeunte *actu* remanet et est *habituale* quod describitur: conditio animae misera post peccatum commissum remanens, a qua homo denominatur peccator; sive: *habitus* animae miser, ortus ex peccato commisso et poenitentia nondum deleto. Utraque igitur peccati consideratio conjungenda est, ut completa ejus notitia habeatur.

Ad 3^{um}. *Vitium* in theologia morali designat pravam et constantem *dispositionem* qua homo ad peccatum inclinatur. Unde vitium et peccatum in eo praecipue differunt quod peccatum accipiatur pro actu quo quis libere transgreditur legem seseque constituit peccatorem, vitium vero pro constanti ad peccatum dispositione seu propensione. Ex quo infertur :

a) Peccatum simpliciter pejus esse vitio, nam ut inquit S. Thom. 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 71, Art. 3: „vituperabilius est male agere quam posse male agere;” et alibi eodem Art. 3 : „pro *actu* vitioso (peccato) aliquis juste punitur, non autem pro *habitu* vitioso (vitio), si non procedit ad actum.”

b) Vitium non necessario sicut peccatum esse offensam Dei, neque necessario auferri per justificationem, qua auferetur peccatum omne saltem mortale. Advertendum tamen est, vitium et peccatum a theologis saepius promiscue pro eodem usurpari.

5) Ex hucusque traditis de natura peccati facile deduces quae sint peccati requisita.

Ad peccatum requiritur: ut sit actio aut omissio legi divinae contraria, facta cum praevia (licet forte erronea) advertentia malitiae et cum libero voluntatis consensu.

CAPUT SECUNDUM.

De peccati subjecto ejusque pratico ad peccatum processu.

A R T I C U L U S P R I M U S.

DE PECCATI SUBJECTO.

6) Subjectum peccati duplex assignatur scilicet subjectum peccati *remotum*, quod est persona peccati capax,

et subjectum peccati *proximum*, quod est potentia actum peccaminosum exercens sive ut innuit S. Thomas 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 74, Art. 1: potentia illa quae est principium actus peccaminosi. Quaerendum igitur est: 1^o. quis sit subjectum peccati remotum; 2^o. quae potentia subjectum peccati proximum?

7) Ad primum: omnis et sola creatura rationalis libera, libertate etiam contrarietatis, subjectum peccati remotum seu peccandi capax est.

Probatur. 1^{ma} pars: *omnis*, nam omnis qui liber est, libertate etiam contrarietatis, eo ipso habet potentiam eligendi inter bonum et malum (confer. tract. de Actibus Hum. n^o. 15 et 29).

Qui autem habet potentiam eligendi bonum vel malum, eo ipso potest, relicto bono, eligere malum et consequenter mali seu peccati capax est.

Prob. 2^{da} pars: *sola*, nam ubi talis non existit libertas, ibi nec adest potentia eligendi bonum vel malum ac per consequens nec capacitas peccandi. Unde S.S. Angeli et animae Beatorum, visione Dei intuitiva fruentes, atque animae in purgatorio detentae non sunt subjecta peccati, quum non amplius habeant libertatem contrarietatis.

8) Ad secundum: voluntas est subjectum peccati proximum. Verumtamen non sola voluntas, sed et omnes aliae potentiae, quae per voluntatem ad actus suos moveri vel ab iis reprimi possunt, recte dicuntur subjecta peccati proxima. Prob. 1^{ma} pars: voluntas est principium actus voluntarii; atqui peccatum est actus tam essentialiter voluntarius, ut, si voluntarius non sit, nullo modo peccatum sit: ergo voluntas est principium peccati seu subjectum peccati proximum. Conf. S. Thom. 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 74 Art. 3.

Prob. 2^{da} pars: *non sola voluntas* etc.; nam, ut inquit S. Thomas loco citato: „omne, quod est principium voluntarii actus, est subjectum peccati, actus autem voluntarii non solum dicuntur illi qui eliciuntur a voluntate sed etiam illi qui a voluntate imperantur (cfr. Tract. de Act. Hum. n^o. 5). Unde non solum voluntas potest esse subjectum peccati sed omnes illae potentiae quae possunt moveri ad suos actus, vel ab iis reprimi per voluntatem.” Ita v. g. intellectus subjectum est peccati haeresis, appetitus sensitivus peccati gulæ, luxuria etc. Bene tamen notetur oportet, voluntatem semper subjectum *primarium* esse, reliquas vere potentias nonnisi subjecta *secundaria*. Dicendum, ait iterum S. Thomas l. c. „quod non peccetur nisi voluntate sicut primo movente, aliis autem potentiis peccatur sicut ab ea motis.”

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRACTICO SUBJECTI AD PECCATUM PROCESSU.

9) Practicus ad peccatum processus ut plurimum hic est:
 1^o. excitatur in homine sive a daemonie per suggestionem, sive a sensibus externis, sive ex naturali dispositione aut infirmitate imaginatio quaedam objecti delectabilis vel odibilis *in phantasia*; atque ob naturalem et intimam potentiarum connexionem, de eodem objecto fit cognitio vel cogitatio *in intellectu*, objectum istud prius ut delectabile vel odibile, ac deinde ut legi divinae contrarium est, agnoscente;

2^o. ex imaginatione et cognitione objecti delectabilis vel odibilis *in phantasia* et intellectu sequitur aliquis

motus amoris vel odii, delectationis vel tristitiae aut irae *in appetitu sensitivo*; atque ob supra dictam potentiarum connexionem statim exoritur similis quidam motus *in ipsa voluntate* adeo quidem ut ipsa voluntas sese abstrahi et excitari sentiat ad objectum illud prosequendum vel fugiendum, quamvis intellectus subinde malitiam talis prosecutionis vel fugae agnoverit;

3º. voluntas autem, non obstante advertentia malitiae, excitationi appetitus sensitivi immoratur eique consentit, aliquando mera quadam complacentia in opus malum absque intentione illud exequendi (*delectatio morosa* quae primus peccati gradus est); aliquando cum intentione illud exequendi (*desiderium* vel *propositum*, quod secundum peccati gradum constituit); cui tandem subsequitur ipsa operis mali executio (quae tertius peccati gradus ejusque consummatio dicitur).

In practico igitur ad peccatum processu haec quatuor momenta distinguenda occurunt, scilicet:

1º. Simplex repraesentatio et cogitatio objecti mali.

2º. Motus sive sollicitationes concupiscentiae exinde sequentes.

3º. Consensus voluntatis per delectationem morosam.

4º. Consensus voluntatis per desiderium.

De quatuor autem hisce momentis in distinctis paragraphis singulatim dicemus, ea paucis assignaturi quae quoad singula a confessariis necessario sciri debent.

§ 1. *De simplici repraesentatione et cogitatione objecti mali.*

10) Quaeritur: an simplex repraesentatio vel cogitatio de objecto malo in se mala sit?

Resp. Simplex repraesentatio aut cogitatio objecti mali, etiam si voluntaria sit, de se mala non est sed omnino indifferens; mala tamen fieri potest et quidem:

1º. Si repraesentatio et cogitatio ista voluntarie assumatur vel continuetur ex affectu vel fine malo.

2º. Si ex repraesentatione et cogitatione ista secuturus praevidetur talis effectus quem praecavere tenemur v. g. *periculum proximum consensus* in ipsum objectum malum. Ubi vero talis effectus probabiliter timendus non sit, eadem cogitatio et repraesentatio etiam bona fieri potest nimirum, si procedat ex recto fine. Cfr. Ligorio, tract. de peccatis n°. 17 ubi convenienter principiis in responsione nostra positis, sic resolvit S. Doctor: Simplex cogitatio objecti mali „vel potest esse bona; si adsit justa causa cogitandi v. g. causa studii, consultationis, cum abominatione objecti; vel potest esse *venialiter mala*, si fiat ex curiositate etc.; vel potest esse aliquando *mortaliter mala*, si adsit *periculum proximum consensus*.“

§ 2. *De motibus concupiscentiae repraesentationem et cogitationem objecti mali sequentibus.*

11) Quaeritur: an motus concupiscentiae de se mali sint?

Resp. Suppositis hic antea traditis de motibus primoprimis, secundo-primis et secundo-secundis, quaestionem propositam sic breviter resolvimus.

Motus concupiscentiae ex repraesentatione et cogitatione objecti mali etiam voluntaria sequentes, quamvis recte dicantur peccata seu effectus mali hoc sensu quod ex peccato sunt et ad peccatum inclinant ac sollicitant, per se tamen peccata saltem formalia non sunt.

Talia autem fiunt:

1º. Si iis accedat libera voluntatis complacentia, de qua agitur in duobus paragraphis sequentibus, vel

2º. Si quis, licet in iis non positive sibi complaceat, voluntarie tamen negligat debitam iis opponere resistentiam, de qua egimus in tract. de Act. Hum. n°. 59 vel etiam,

3º. si quis, licet nec positive consentiat nec resistere negligat, *sine juste causa* tamen vel *cum proximo consensus periculo* voluntarie assumat aut continuet repraesentationes et cogitationes ex quibus motus istos etiam praeter intentionem oriri advertit vel orituros esse praevidet; hoc enim in casu motus isti censeri debent indirecte voluntarii et consequenter ad culpam imputabiles; ut latius expositum est in tract. de Act. Hum. ubi de voluntario indirecto n°. 30—38.

Diximus: si quis *sine juste causa* vel *cum proximo consensus periculo*; etenim quum motus concupiscentiae per se peccata formalia non sint et insuper nullus detur nexus necessarius inter concupiscentiam et voluntatis consensum, hinc omnino licitum erit etiam voluntarie assumere aut continuare repraesentationes ac cogitationes ex quibus motus concupiscentiae sequuntur, modo pro hoc agendi ratione: 1º. *adsit justa causa* i. e. causa secundum se bona et ad motuum vehementiam proportionata et simul 2º. *desit periculum proximum consensus*, hoc enim in casu, ut iterum explicatum est in tract. de Act. Hum. l. c., motus isti nullo modo censeri possunt voluntarii aut imputabiles ad culpam.

Ideoque tunc sufficit ut circa eos eliciamus actum dis- placentiae, vel ut eos contemnamus ac negligamus pergendo agere quod agimus. Plures autem casus practici ad hanc materiam spectantes postea resolventur in tractatu de sexto Decalogi praecepto.

§ 3. *De consensu voluntatis per delectationem morosam.*

12) *Delectatio morosa* sic dicta non a mora temporis (cum etiam perfici possit in instanti) sed a mora voluntatis, quae nimurum delectationi libere inhaeret simulque tamen in ea sistit non volens ultra tendere ad opus, definiri solet: *complacentia voluntaria de objecto illicito*, per imaginationem exhibito ut praesente, absque desiderio opere illud exequendi.

Dicitur 1^o: *complacentia* i. e. quies quaedam animi in objecto, sub ratione alicujus boni dulcis ac delectabilis cogitato, atque ita *delectatio morosa* distinguitur a representatione et cogitatione simplici objecti mali.

Dicitur 2^o: *complacentia voluntaria* i. e. procedens a voluntate cum rationis advertentia et libertate, et ita *delectatio morosa* distinguitur ab omni delectatione a motione, quae in nobis sine nobis (i. e. sine libero voluntatis consensu) oritur.

Dicitur 3^o: *de objecto illicito* i. e. vel de objecto quod *in se* seu *intrinsece* malum est vel etiam de objecto quod non secundum se sed tantum *extrinsece* nempe ex sola lege positiva malum est, et *qua tale* sub delectatione cadit. Atque ita *delectatio morosa* distinguitur a delectatione de cogitatione rei malae, vel de circumstantiis non malis, quae rem malam concomitantur v. g. de modo artificioso aut ridiculo peccandi.

Dicitur 4^o. *exhibito ut praesente*; proprium enim est delectationi morosae ut versetur circa objecta *qua praesentia*, quum objecta *qua futura* pertineant ad *desiderium* et *qua praeterita* ad *gaudium et jactantium*, de quibus in paragrapho sequenti. Desiderium, ut bene notat Scavini, respicit *tempus futurum*, *gaudium* e contrario *praeteritum*,

delectatio autem morosa respicit tempus praesens et tunc habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi praesens objectum peccati et de illo delectatur deliberato consensu ac si opus actu perficeret, quin tamen habeat desiderium illud reapse perficiendi v. g. si quis fingens se actum luxuriosum ponere, in tali actu sibi repraesentato delectetur, quin illum intendat perficere.

His praemissis de natura delectationis morosae:

13) Quaeritur 1^o. an, quantum, et quale peccatum sit?

Resp. ad 1^{um}. Delectatio morosa de objecto malo certe peccatum est; plane enim repugnat rectae rationi, quod voluntas creaturae libere acceptet et gratum habeat quod divinae voluntati creatoris et supremi omnium legislatoris displicet et ab eo prohibetur.

Resp. ad 2^{um}. *Quantum i. e. cujus gravitatis peccatum sit?*

Delectatio morosa est peccatum grave vel leve pro graviitate vel levitate malitia ipsius objecti; ita ut delectatio morosa de objecto graviter malo v. g. de fornicatione, adulterio etc. sit peccatum grave, de objecto autem leviter malo v. g. de mendacio officioso, peccatum leve. Ratio est, quia actus humanus, qualis est delectatio morosa, moralitatem suam primario desumit ex objectis uti constat ex tract. de Act. Hum. n^o. 84 et confirmari potest ex Osee IX: 10: „*facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.*” Unde merito S. Thomas contra eos, qui contenderent, delectationem morosam de objecto etiam graviter malo esse tantum peccatum veniale, sic arguit 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 74, Art. 8: „*nullus delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui ejus; quod autem aliquis ex deliberatione eligat quod affectus suus conformetur iis quae secundum se sunt peccata mortalia est peccatum mortale.*”

Resp. ad 3^{um}. *Quale i. e. cuius speciei peccatum sit?*

Ex communi theologorum doctrina delectatio morosa:

1^o. Peccatum est ejusdem speciei cuius est objectum malum in quod delectatio fertur, nam ut iterum ait S. Thomas, Quaest. 15 de veritate: „delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur, sicut operatio virtutis et delectatio de eadem ad eamdem virtutem reducuntur.” Unde delectatio morosa v. g. de opere luxurioso, de furto, contrahit speciem luxuriaie, injustitiae.

2^o. Contrahit etiam malitiam specificam illarum objecti circumstantiarum, a quarum delectabilitate voluntas movetur, et quae proinde sub delectatione cadunt, et hinc delectatio morosa de congressu carnali cum persona conjugata *qua conjugata* habet malitiam specificam circumstantiae conjugii i. e. malitiam adulterii. Denique:

3^o. adhuc contrahit malitiam specificam circumstantiarum, quae se tenent ex parte subjecti i. e. personae peccantis, et sic delectatio morosa, habita a viro qui in ordinibus sacris est constitutus vel a religioso, de objecto turpi habet malitiam specificam circumstantiae ordinationis aut religionis, nimirum malitiam sacrilegii.

Et haec tria apud omnes certa sunt. Controvertitur autem de iis objecti circumstantiis, a quarum delectabilitate voluntas non movetur: Utrum scilicet delectatio morosa etiam contrahat malitiam earum circumstantiarum quae se tenent utique ex parte objecti externi (i. e. objecti considerati ut est si executioni mandatur) sed quae minime cadunt sub complacentia delectantis.

Exemplo sit casus sequens.

Titius morose delectatur de conversatione luxuriosa cum

persona conjugata, sibique consanguinea, non tamen *qua* conjugata et consanguinea sed unice *qua* persona sibi placente, amabili. Plane igitur abstrahit a circumstantiis conjugii et consanguinitatis earumque delectabilitate minime movetur, quamvis eadem circumstantiae ab ipsa conversatione, si opere perficiatur, sint inseparabiles eique certo addant malitiam adulterii et incestus. Applicata jam huic casui supradicta controversia, tota difficultas hoc reddit:

Utrum delectatio morosa Titii contrahat etiam malitiam specificam circumstantiarum conjugii et consanguinitatis i. e. malitiam adulterii et incestus, an vero solam malitiam objecti ut a Titio sub delectatione sua comprehensi, solam scil. malitiam fornicationis? Theologi Salmanticenses aliquique non pauci opinantur, delectationem morosam per se induere malitiam omnium circumstantiarum objecti externi eo quod, ut aiunt, delectatio morosa, non obstante quacumque abstractione mente facta, reapse tamen complectatur totum objectum cognitionis, sicut a parte rei est, et hinc juxta eos delectatio Titii in casu proposito non solam malitiam fornicationis habet sed insuper adulterii et incestus. E contra Card. de Lugo, Layman et plures alii putant, delectationem morosam per se non sequi totum objectum ut a parte rei est, sed solummodo in quantum apprehenditur ut delectabile. Unde, ita inquiunt, si quedam circumstantiae objecti non apprehenduntur ut delectabiles, etiam delectatio eas non sequitur ac consequenter earum malitiam non induit; atque ita juxta hujus sententiae patronos delectatio Titii in casu proposito solam habet malitiam fornicationis non vero malitiam adulterii et incestus.

Quid igitur, stante hac sententiarum diversitate, statuendum pro praxi?

Statuendum putamus cum S. Ligorio in Operे morali, de peccatis n^o. 17 et in Hom. Apost. de pecc. n^o. 48, *speculative loquendo* valde probabilem esse sententiam secundam; attamen; quum delectatio morosa dupliciter considerari possit scilicet: a) praecise qua delectatio morosa, et b) qua creans ordinarie periculum proximum desiderii (quod desiderium, ut dicetur in Art. sequenti, semper contrahit malitiam omnium circumstantiarum objecti); hinc *practice loquendo* praferendam videri sententiam primam nimirum: quod delectatio morosa ordinarie contrahat malitiam omnium circumstantiarum objecti, *si non qua praecise delectatio morosa, saltem qua ordinarie creans periculum proximum desiderii*. Et hoc modo utriusque sententiae defensores, uti saepius fit in punctis controversis de rebus moralibus, facile conciliantur.

14) Notandum 1^o. *pro confessione.*

Ex dictis infertur, quod pro confesione sacramentali, in qua ex Christi voluntate declaranda sunt peccata mortalia secundum omnes suas malitiae species, non videatur sufficere ut poenitens, qui morose delectatus fuit v. g. de objecto turpi, simpliciter se accuset dicendo: habui complacentiam voluntariam in cogitationibus impuris, sed quod exponi debeant tum objectum delectationis, tum circumstantiae speciales subjecti, tum quoque circumstantiae speciales objecti, non solum eae quae sub delectatione contentae fuerunt, sed ordinarie etiam, saltem per se, reliquae omnes.

Dico *saltem per se*, nam, ut monet Bouvier in dissertatione de Sexto, saepe difficile est a poenitentibus obtinere, ut circumstantias objecti repraesentati aperiant, et tunc prudenter confessarii, opinioni Lugonis aliorumque innixi,

ab importunis quaestionibus abstinent, modo reapse non adfuerit desiderium.

Notandum 2º. pro confessariis.

Confessarius facile suspicari debet de peccato morosae delectationis in iis poenitentibus, qui frequenter ac libenter audiunt aut legunt res obscoenas, vel aspiciunt imagines turpes vel adeunt comoedias in honestas etc.; etenim quod attinet ad materiam sexti praecepti, raro a peccato immunes sunt, qui huic materiae sine aliqua causa et avide inhaerere solent, etiamsi dicant se in ipsam non consentire. Cur enim hisce rebus tam libenter inhaerent, nisi quia pravum ad eas fovent affectum? E contra non facile suspicetur confessarius de peccato saltem mortali delectationis morosae in poenitentibus iis, qui saepe anxi sunt de cogitationibus et imaginationibus, quibus continuo agitantur, quamvis non sciunt, sese voluntarium iis praebuisse consensum.

Hos igitur potius doceat, non peccari nisi voluntate, non nocere sensum, ubi deest consensus.

15) Quaeritur 2º: an de se mala sit delectatio voluntaria de cogitatione objecti mali vel de circumstantiis non malis, quae objectum malum concomitantur?

Resp. Talis delectatio non est, ut patet, de objecto mali et per consequens etiam secundum se mala non est sed indifferens. Bona tamen vel mala fieri potest ratione finis aut affectus, sicut supra n°. 10 de ipsa cogitatione mali diximus. Quapropter per se non peccamus, si ridemus videntes, aliquem magna dexteritate aliquid surripientem; quia non delectamur de furto ipso sed de modo artificioso quo committitur. Similiter per se non peccamus ridentes videndo feminas rixantes, ebrium incidentem etc., quia

in istis casibus delectatio non est de ipsa re, sed tantum de modo ridiculo quo fit. Ita etiam per se illicitum non est delectari de cantus turpis *suavitate*, modo cantus ipse in se non placeat; vel delectari de *elegantia* versuum in materia turpi, aut de locutione singulari qua quis alteri detrahit, modo iterum ipsi versus aut ipsa detractio displiceant. Facile tamen intelliges, ejusmodi delectationes saepe fieri peccata venialia ex defectu recti motivi etc., easque, quoties respiciunt materiam Sexti, ordinarie esse valde periculosas.

16) Quaeritur 3º: quid statuendum de delectatione circa objectum malum sub conditione vel restrictione: *in quantum prohibitum non est?*

Resp. Cum distinctione: vel agitur de objecto *extrinsece* malo i. e. non ex se sed ideo tantum malo, quia a lege positiva prohibitum est; vel de objecto *intrinsece* malo i. e. ex natura sua malo, etiamsi nulla positiva lege prohibitum esset.

Si *primum*: delectatio de se mala non est; delectatio enim sequitur naturam objecti sui; atqui objectum delectationis in casu ex se malum non est, et, in quantum prohibitum est, sub delectatione non cadit; ergo nec ipsa delectatio de se mala est, et sic v. g. de se mala non erit delectatio de cogitato carnium esu in die jejunii, modo non fiat sub ratione prohibitionis.

Facile tamen ejusmodi delectationes fieri possunt peccata venialia, utpote nimis sensuales, prorsus inutiles ac vanae etc.

Si *secundum*: delectatio, ex doctrina S. Alphonsi n°. 14, semper de se mala est; delectatio enim sequitur naturam objecti sui; atqui objectum delectationis in casu, non

obstante supra dicta restrictione intellectu facta, simpliciter malum est; ergo et ipsa delectatio. Et haec responsio obtinet non solum pro delectatione circa objectum intrinsece malum *absolute* i. e. malum in omni casu ac tempore; sed etiam pro delectatione circa objectum intrinsece malum *hypothetice* i. e. malum tantum in praesentibus circumstantiis, non vero in aliis; quamvis enim objectum hoc, *qua* praeteritum aut *qua* futurum, licitum esse possit, *qua* praesens tamen simpliciter malum est, et *qua* tale cadit sub delectatione, cui proprium est, ut patet ex ejus definitione, ferri in objecta ut praesentia.

Exinde deducitur sequens bene notanda: Resolutio practica S. Alphonsi *pro sponsis et viduis*: ergo non licet sponsis et viduis morose delectari de copula praeterita vel futura; talis enim delectatio reapse est de copula exhibita ut praesenti; in praesenti autem etiam viduis et sponsis simpliciter mala est, quia abest in praesenti conditio coherestans scil. matrimonium.

Aliud sane dicendum esset de simplici desiderio, quo voluntas fertur in objectum futurum illudque intendere potest sub conditione qua licitum erit v. g.: si sponsus simpliciter desiderat actum matrimoniale futurum cum sponsa quando sibi erit uxor; tunc enim optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Verumtamen, ut advertit S. Ligorio in Hom. Apost. n^o. 51, quia per hujusmodi desideria, cum quis moratur in cogitationibus iis, magnum subest periculum delectationis praesentis, ideo debet confessarius omnino prohibere, ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur; et per consequens maxime curandum, ut quam citissime matrimonium celebretur, ne sponsi in illa facili occasione peccati relinquantur.

§ 4. *De consensu voluntatis per desiderium, ubi addetur duplex quaestio a) de gaudio et b) de jactantia.*

17) Desiderium definitur: actus voluntatis (tempus futurum respiciens), quo quis deliberate intendit opus aliquod determinatum perficere; et dicitur *efficax* quando quis media suscipit ad opus illud perficiendum; *inefficax* quando quis non proponit opus illud perficere, sed in hoc per voluntatem consentit, quod illud perfecturus esset si posset. Cum hac autem distinctione desiderii proxime cohaeret ea, qua desiderium dividitur in *absolutum* i. e. nulla conditione restrictum, et *conditionatum* i. e. formatum sub aliqua conditione v. g. si non essem sacerdos, si liceret. His praemissis de natura desiderii:

18) Quaeritur 1º: an, quantum et quale peccatum sit desiderium *absolutum*?

Resp. Quodlibet desiderium *absolutum* rei aut actionis malae certo peccatum est, utpote rectae rationi, legi naturae evidenter repugnans et prohibitum ex nono Decalogi praecepto: Non concupisces. Hoc autem peccatum ejusdem est gravitatis et speciei quam opus ipsum cum omnibus circumstantiis suis habere cognoscimus; nam desiderium *absolutum* simpliciter tendit in opus malum, ut a parte rei est, ideoque totam induit malitiam, quae operi ex parte rei inesse cognoscitur. Unde Christus Dominus apud Mattheum V:28: *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

Notandum pro confessione: poenitens igitur qui pravi desiderii reus est, non satisfacit confessionis obligationi, si generatim tantum dicat, se habuisse desideria mala, sed specificare debet quid desideraverit, an v. g. peccatum

luxuriae solitarie cum semetipso committendum, an cum alia persona, ejusdem vel diversi sexus, conjugata, consanguinea.

19) Quaeritur 2º: an, quantum et quale peccatum sit desiderium conditionatum?

Resp. Tota quaestione solutio pendet a conditione sub qua formatur desiderium, utrum nempe conditio ista auferat malitiam ab objecto desiderato necne. Unde sic statuere licebit:

1º. Desiderum conditionatum operis mali de se non est peccatum saltem mortale si conditio *auferat ejus malitiam*. Tale enim desiderium tendit in objectum ad tempus illud futurum, quo objectum revera licitum erit, secus ac delectatio morosa, quae semper tendit ad objectum in praesenti. Vide supra nº. 16 ad verba „si secundum.”

Dicitur: *de se non est peccatum saltem mortale*; nam ejusmodi desideria, nisi ex recto motivo procedant, ordinarie sunt ad minimum valde otiosa et vana, ac proinde rarius ab aliqua culpa veniali immunia; quin imo per accidens fieri possunt mortalia quoties nempe aliquis, desideriis istis inhaerendo, in proximum se conjiciat periculum delectationis morosae circa objectum turpe. Vide supra nº. 16 *resolutio practica*.

2º. Desiderium conditionatum operis mali peccatum est eodem prorsus modo ac desiderium absolutum, *si conditio non auferat operis malitiam*; tale enim desiderium simpliciter tendit in objectum ut a parte rei malum est, et conditio apposita reapse nihil efficit. Quodsi tamen conditio apposita auferret *gravem operis malitiam* relicta tantum malitia *levi*, etiam desiderium conditionatum de se tantum esset peccatum veniale; et similiter, si apposita

conditio, non sublata quidem gravi malitia *objecti*, auferret malitiam circumstantiarum, etiam desiderium conditionatum contraheret quidem malitiam objecti, non vero malitiam circumstantiarum. Ratio est: quia desiderium tendit ad objectum in futurum; in futuro autem contingere potest, ut objectum istud reapse fiat peccatum veniale tantum vel etiam ut, malitia circumstantiarum omissa, solum retineat objecti malitiam.

20) Quaeres autem: quandonam conditio censeri debeat auferre vel non auferre malitiam operis?

Resp. 1º. Conditio aufert operis malitiam si, posita conditione, opus non amplius esset malum. Hoc autem contingere potest:

a) in iis quae *extrinsece* tantum mala sunt i. e. prohibita ex sola lege positiva, ut esus carnium in die jejunii;

b) in iis quae *intrinsece* mala sunt hypothetice i. e. prohibita ex lege naturali in praesentibus circumstantiis sed non aliis, ut actus matrimonialis, qui pro non conjugatis intrinsece malus, sed pro conjugatis omnino licitus est.

Exinde infertur: Ergo de se non peccat saltem graviter qui in sensu *optativo* diceret:

Vellem hodie comedere carnes si non esset dies jejunii; vellem occidere istum homicidam si essem judex; vellem actum matrimoniale exercere si essem conjugatus; vellem matrimonio jungi si non essem ligatus voto castitatis etc.; hujusmodi enim conditiones auferunt malitiam ab objecto desiderato, ideoque desideriis ita formatis applicanda erit regula supra tradita n°. 19 ad 1º: desiderium conditionatum de se non est peccatum saltem mortale, si conditio auferat operis malitiam.

Resp. 2º. Conditio non aufert malitiam in duplii casu:

α) Si, posita etiam conditione, opus maneret malum eodem modo ac si conditio posita non esset; quod quidem contingere potest in omnibus quae mala sunt sive intrinsece sive extrinsece tantum.

Unde resolves: Ergo peccat et quidem peccato ejusdem gravitatis ac speciei, quam objectum cum suis circumstantiis habere cognoscitur, qui *optative* diceret: frangerem jejuniū si carnes haberem; vellem inebriari si pecunia non deesset; peccatum luxuriae committerem si nemo me aspiceret, si non esset infernus etc.; hujusmodi enim conditiones operis malitiam omnino intactam relinquunt, ideoque desideriis ita formatis applicanda erit regula supra tradita n^o. 19 ad 2^{um}: desiderium conditionatum peccatum est eodem prorsus modo ac desiderium absolutum, si conditio non auferat operis malitiam.

Ubi autem quis *optative* diceret: vellem fornicari nisi voto castitatis essem ligatus, contraheret certe malitiam objecti (fornicationis) sed non malitiam circumstantiae voti (sacrilegii); similiter si optaret: actum matrimoniale ex exercerem ex voluptate, si essem conjugatus, non gravis sed venialis tantum malitia esset reus.

Ratio est, quia ut patet ex supradictis n^o. 19, desiderium conditionatum eatenus non est malum, quatenus conditio malitiam aufert. Atqui in primo casu conditio aufert malitiam circumstantiae voti, et in secundo aufert malitiam gravem, relictā tantum malitia veniali. Ergo etc.

β) Si conditio sit impossibilis i. e. si conditio malitiam ab objecto sejungere nequeat, uti contingit in iis quae intrinsece mala sunt *absolute*, et etiam in iis quae intrinsece mala sunt *hypothetice*, quamdiu existat hypothesis.

Quapropter a gravi culpa excusari non posset qui

optative diceret: blasphemarem si non esset peccatum; fornicationem committerem si liceret, etc.; ejusmodi enim conditiones utpote impossibiles malitiam auferre non possunt, nisi everteretur ipse ordo ipsaque lex naturalis; de se autem malum est, inquit S. Ligorio, velle inverttere ordinem et legem naturae.

Interim ut omnis in materia hac practica praecaveatur ambiguitas, bene advertatur necesse est, locutiones in decursu hujus quaestionis passim allegatas v. g. blasphemarem si non esset peccatum, si non existeret infernus, a nobis ubique sumi (sicut per verba: *si quis optative diceret satis indicatur*) in sensu *vere optativo*, ita ut denotent proprie dictum desiderium; eaedem enim locutiones etiam accipi possunt in sensu *enuntiativo*, ita ut indicent tantum judicium intellectus, quo quis enuntiat, se esse propensum ad malum, se tam fragilem esse, ut facile vellet peccare, nisi hoc vel illud obstaret v. g. sentio me tam fragilem, ut facile committerem peccatum luxuriae, si non retinerer cogitatione inferni. Hoc autem sensu acceptae, locutiones istae non sunt saltem graviter malae, utpote nullum desiderium voluntatis, sed solam tantum confessionem propriae fragilitatis importantes. Praeterea observari debet cum S. Alphonso in Hom. Apost. n^o. 50, tales locutiones cum conditione impossibili: *si liceret, si non esset peccatum*, ordinarie ab hominibus adhiberi *in sensu enuntiativo*, et hinc ut plurimum non attingere ad mortale.

ADDENDA.

A) De gaudio.

21) *Gaudium*, quod respicit tempus praeteritum, est voluntaria complacentia de malo opere patrato, ad quam

complacentiam revocari etiam potest *displacentia*, qua quis dolet, se malum data occasione non fecisse. De ejusmodi gaudio:

22) Quaeritur 1º: an, quantum et quale peccatum sit?

Resp. Gaudium de malo opere patrato peccatum est, utpote includens mali approbationem; et quidem peccatum ejusdem gravitatis ac speciei, cuius fuit ipsum opus malum patratum; quia voluntas gaudentis simpliciter iterum amplectitur opus malum cum omnibus circumstantiis suis, neque ab illis praescindere potest, ut inquit S. Ligorio de pecc. n°. 15. Unde qui gaudet v. g. de commisso furto rei sacrae, iterum reus est injustitiae et sacrilegii.

23) Quaeritur 2º: an liceat gaudere de opere malo ob bonum effectum inde secutum?

Resp. 1º. Nunquam licet gaudere *de ipso opere*, sive formaliter, sive materialiter, malo ob bonum effectum inde secutum, nam tale gaudium includit mali ipsius approbationem, et hinc damnata est ab Innocentio XI propositio sequens: „licitum est gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias, inde ex haereditate consecutas.”

Resp. 2º. E contra per se illicitum non est gaudere *de solo effectu bono* qui ex malo opere secutus est; nam objectum talis gaudii non est malum, ideo nec ipsum gaudium, v. g. de se illicitum non est gaudere de consecutione haereditatis ob homicidium, modo ipsum homicidium improbetur.

Itaque pro solvenda hac secunda quaestione distinguendum inter haec duo: 1º. gaudere de effectu, causam ejus approbando; et 2º. gaudere de effectu, causam ejus improbando.

B) De jactantia.

24) Quaeritur: an, quantum et quale peccatum sit jactantia i. e. ostentatio seu gloriatio de opere malo?

Resp. Cum distinctione: vel jactantia ista includit approbationem ipsius operis mali vel solummodo includit approbationem alicujus circumstantiae v. g. fortitudinis, dexteritatis in operis mali executione demonstratae.

Si *primum*, jactantia peccatum est ejusdem gravitatis ac speciei cum ipso opere malo de quo quis gloriatur; quin immo, ut observat Sporer de pecc. cap. VII, hujusmodi jactantia potest et solet esse peccatum duplex: unum ipsius jactantiae, quaerendo scil. laudem et gloriam ex re mala, alterum approbationis mali operis; quibus adhuc ut plurimum superadditur peccatum scandali.

Si *secundum*, jactantia, secluso gravi scandalo, de se peccatum veniale non excedit, ut ait Sporer l. c.

Notam addimus:

Ad discernendum in praxi, utrum jactantia vere includat approbationem ipsius operis mali necne, praecipue attendatur, an jactantia fuerit de opere malo, reapse a jactante commisso, vel solum de opere malo facto. In primo enim casu aderit plerumque ipsius operis mali approbatio; in posteriori vero casu saepius aderit tantum approbatio alicujus circumstantiae non malae, dexteritatis, etc.

CAPUT TERTIUM.

De peccati causis in genere et speciatim de temptationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PECCATI CAUSIS IN GENERE.

25) Nomine *causae* hoc loco non intelligimus *causam efficientem*, de qua dictum est supra n^o. 6, 9, ubi de peccati subjecto, sed solam *causam impulsivam*, quae nim. ad peccatum movet ac sollicitat et quae distingui solet in *internam* et *externam* prout vel intra vel extra hominem existat.

26) Quaeritur 1^o: quenaam sint causae peccati internae?

Resp. Tres communiter assignari solent causae internae, sc.:

a) Ex parte intellectus *ignorantia vincibilis* i. e. carentia voluntaria scientiae debitae, de qua videatur Tract. de Act. Hum. n^o. 49. Est autem ignorantia ista causa peccati *non directe*, cum non ex se seu propria virtute ad peccatum sollicitet, sed *indirecte* tantum quatenus sc. removet scientiam, quae si adesset, peccatum non fieret; multa enim faciunt peccatores obcoecati quae, depulsa ignorantia, non facerent.

b) Ex parte appetitus *concupiscentia antecedens* seu passio aut hominis infirmitas, qua nimis alliciuntur intellectus et voluntas ad peccata, quae alias non tam facile homo committeret ut docet Apost. Jacob. I : 14: „*Unusquisque tentatur a concupiscentia abstractus et electus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*”

Vide supra n^o. 9, Bouv. p. 6 Tract. de Act. Hum. n^o. 56.

c) Ex parte voluntatis *malitia* i. e. mera voluntatis perversitas, qua quis, sine ignorantia aut vehementi concupiscentia antecedente, deliberate ad peccatum procedit.

27) Triplices haec causa interna merito reduci poterit ad unam causam generalem nimis ad corruptionem naturae humanae, peccatum originale, et ultimo quidem ad inordinatum amorem sui, namque ut docet S. Thomas: Omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicujus boni temporalis. Quod autem aliquis appetat inordinate aliquid bonum temporale procedit ex hoc quod inordinate amat semetipsum.

Unde manifestum est, quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati.

28) Quaeritur 2º: quaenam sint causae peccati externae?

Resp. Duae sunt.

1º. *Mundus* sub quo nomine hic veniunt omnia, quae extra nos in mundo posita, ad peccatum allicitur et quae propterea dicuntur peccati *occasiones*.

Eiusmodi autem sunt:

a) Objecta sensibilia seu res mundanae, quae ad peccatum sollicitant et excitant stimulum sensualitatis sive concupiscentiae.

b) Homines mundani, qui alios ad peccatum inducunt vel promittendo divitias, honores, voluptates; vel comminando inopiam, despectum, molestias; vel propagando oretenus aut scriptis doctrinas falsas ac inhonestas; vel promovendo depravatum genium temporis, etc.

2º. *Diabolus* quo nomine hic intelligitur non solum satanas seu princeps regni infernalis, sed et ingens illa, quae partes satanae amplexa est, multitudo diabolorum, qui sicut ipsi a Deo aversi sunt, ita et homines a Deo

avertere, sicut ipsi mali sunt, ita et homines malos facere pro viribus conantur, uti constat ex Epist. I Petri. c. 5: „*Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*”

Quaeritur a) an, qualis et quanta diabolo sit potestas hominem seducendi?

Resp. Certum est, diabolum hominem non posse *necessitare*, sed solummodo impellere ac sollicitare ad formaliter peccandum. Est enim diabolus, ut ex pluribus S. Scripturae et S.S. Patrum testimoniis infert S. Caesareus: alligatus tanquam canis innixus catenis, latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino nisi volentem non potest; non enim cogendo sed suadendo nocet, non extorquet a nobis consensum sed petit. Evidenter fateamur oportet cum S. Thomas 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 80, Art. 3. Diabolum propria virtute, nisi a Deo refraenetur, posse cogere ad actum, qui ex genere suo est peccatum, v. g. ad profienda verba blasphematoria, vel etiam alios actus ex objecto malos; sed tunc, ob impedimentum rationis usum, tales actus non imputantur homini ad peccatum, cum desit libertas arbitrii. Certum pariter est, ipsam, qua diabolus gaudet, potestatem homines seducendi, non esse illimitatam; non enim, ut docet S. Joann Chrysostom., tamdiu tentat homines diabolus quamdiu vult, sed quamdiu juxta mensuram suaem providentiae Deus permittit.

Et hinc in Apocal. XX: 1, 2. Deus vel per se vel per Angelum diabolum ligasse refertur, quod demonstrat ligari daemonem pracepto Dei quantum et quamdiu illi placuerit. Conf. Lib. Job I : 12, II : 16.

Quaeritur b) quomodo diabolus potestatem suam seductivam in homines exerceat?

Resp. Vix cogitatu possibile est, quantis spiritus ille infernalis in astutia sua utatur modis alliciendi homines ad peccandum.

Potiores tamen diabolicae seductionis modi duo sequentes esse videntur:

1^o. Aliquando nos ad malum attrahit per *delicias* ac *voluptates* quatenus sc. vel exterius proponit objecta seu formas imaginarias quae ad luxuriam, gulam etc. potenter attrahunt, vel interius humores, fluidum nerveum, passiones etc. commovendo, ad eadem objecta prosequenda instigat. Atque ita rationi obscuratae persuadet objecta ista, quamvis mala, esse appetibilia et eligenda.

2^o. Aliquando nos ad malum inducere conatur non tam sub specie *mali* sed potius sub specie *boni*, transfigurando semetipsum, ut ait Apost., in Angelum lucis atque ita nobis sugerendo varios praetextus bonos v. g. bonitatem amicitiae cum personis devotis, decentiam urbanitatis, ut, iis decepti, facile adeamus pericula et occasiones proximas peccati et sic misere pereamus.

Quaeritur c) an omnia peccata fiant ex suggestione diaboli?

Resp. Quamvis diabolus dici possit omnium peccatorum auctor, quatenus omne peccatum quodammodo oritur ex peccato originali, quod, diabolo tentante, commissum est, non videtur tamen quod diabolus immediate concurrat ad quodvis peccatum personale; quia propria voluntas sibi sufficit ad malum.

Interim, ut monet Scavini . . . Nolle confessarium ex eorum esse numero, qui pravis naturae inclinationibus omnia tribuunt, daemonem otiosum circuire et nihil agere autumantes; hujusmodi idea enim non minus noxia quam falsa esset.

Non nego, passiones quandoque ex seipsis naturaliter commoveri; sed daemon, earum commotionem animadvertisens, ad eas vehementius incitandas ordinarie etiam occurrit easque ferventiores, vividiores ac violentiores reddit.

Et ideo potior peccatorum pars, praecipue quae a personis pii committuntur, absque omni daemonis instigatione non perpetratur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE TENTATIONIBUS.

29) Quaeritur: quid sit tentatio et quaenam ejus causa?
Resp. ad primum. Quoties homo ad peccatum allicitur toties dicitur *tentari*.

Unde tentatio generatim est: quodvis incitamentum ad peccandum, voluntati nostrae propositum; sive ut strictius definiunt plures Theologi: tentatio est: quaevis *non libera* repraesentatio aut sensio in nobis excitata, qua ad peccandum sollicitamur.

Resp. ad secundum. Causae temptationum sunt: Ea omnia, quae in Art. praecedenti generatim descripsimus tanquam causas impulsivas peccati sive internas sive externas. Tres tamen ex iis passim in SS. Litteris assignantur tanquam tentatores principales sc. *caro* sive *concupiscentia*, *mundus* et *diabolus*.

30) Quaeritur 2º: an ipse Deus dici possit causa temptationis?

Resp. ex Epist. S. Jacobi I : 13. Nemo qui tentatur dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Cf. Bouv. p. 8.

Attamen, ob fines sapientissimos Deus hominem tentari permittit, et praecipue quidem:

1º. Ut servorum suorum fidelitatem probet; amicus enim sincerus pernoscitur tempore temptationis. Tob. XII : 13, ubi Angelus ait ad Tobiam: „*Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

2º. Ut virtus profundius in anima radicetur; pro frequentia enim temptationis, frequentius etiam erit virtutis exercitium; et hinc ipse Dominus Christus beato Apostolo Paulo liberationem a temptationum impugnatione roganti in responsis dedit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* II Cor. XII : 9.

3º. Ut in profunda humilitate, quae totius vitae spirituialis fundamentum est, nos magis magisque stabiliat: tempore enim temptationis homo plenius agnoscit propriam suam debilitatem ac miseriam, uti patet exemplo Apostoli, de semetipso testantis l. c. 7: *Ne multitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizat.*

4º. Ut fragilitatem propriam intelligentes, eo majori fiducia ad Deum configiamus. Tempore enim temptationis luce clarius patescit necessitas divinae gratiae; et hinc Psalmista postquam dolens exclamaverit: „*Domine quid multiplicati sunt qui me tribulant*” summa se fiducia ad Deum convertens statim adjungit: „*tu autem susceptor meus es,*” etc.

5º. Ut temptationes oppugnando, victoriae mereamur coronam. Nemo enim coronatur nisi qui legitime certaverit. Atque ideo, teste Apost Jacobo I : 2: *Beatus vir qui suffert temptationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.*

6º. Tandem adhuc permittit Deus tentari etiam peccatores et tepidos, tum ut negligentiae ac malitia suae poenam luant, tum ut ista tentatione quasi e somno mortifero excitati miserrimum suum statum agnoscant et serio resipiscant.

31) Quaeritur 3º: an tentatio sit peccatum?

Resp. Tentatio de se peccatum saltem formale non est. Per accidens tamen peccatum fieri potest, si nempe temptationi praebeatur consensus, vel si temptationi non apponatur debita resistantia, de qua vide Tract. de Act. Hum. n°. 59.

32) Quaeritur 4º: quae sint remedia contra temptationes?

Resp. Tentationum remedia alia sunt generalia i. e. contra temptationes quaslibet; alia specialia i. e. contra diversas species temptationis. De remediis specialibus dicitur loco, singulis materiis proprio.

Remedia autem generalia praecipue sunt sequentia:

1º. *Ante temptationem* sese ad eam praeparare, non anxi futurae temptationis timore, nam fidelis Deus est, ut docet Apost. I Cor. X : 13, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed salutari timore Domini, continuo virtutis exercitio, sacramentorum frequentatione, bonae voluntatis renovatione, etc. juxta illud Ecclesiastici II : 1: *Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore et praepara animam tuam ad temptationem.*

2º. *Tempore temptationis* eidem viriliter ac statim resistere, animum ad alia divertendo, fundendo preces jaculatorias, invocando sanctissima nomina Jesu et Mariae, quasi praesentem sibi exhibendo imaginem Crucifixi, ejusque sanctissima quinque vulnera fiducialiter quasi osculando, semet ipsum aspergendo aqua benedicta, ac muniendo signo crucis, secum portando imaginem B. M. V. aut Sancti cuiusdam

reliquias, implorando auxilium S. Angeli custodis, petendo consilium confessarii, ac tandem regulariter cavendo, ne temptationem ipsam in se aspiciamus aut cum tentatore disputemus, maxime si tentat contra fidem vel castitatem; quo magis enim in hoc intendimus animum, eo magis sensus obtenebrantur.

3º. *Post temptationem numquam concidere animo, si forte infeliciter dedicavimus, sed sincere dolere cum firmo proposito strenue ac viriliter pugnandi in posterum, memores semper moniti S. Joannis Epist. 1ª, cap. II: „Filioli mei haec scribo vobis ut non peccetis, sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.” Econtra etiam nunquam sibi inaniter complacere aut propriis inniti viribus, si feliciter temptationem superavimus, sed Deo agere gratias, qui teste Apostolo 1ª ad Cor. XV : 57: „dedit nobis victorian per D. N. J. C., atque ad novas pugnas nos praeparare, quoniam nou cessat ab insidiis suis serpens antiquus.*

De his remedii eorumque recta applicatione diligenter legendi sunt Auctores ascetici, inter quos hic nominatim commendari merentur S. Lig. Prax. Conf.; Gaume, Manuel des Confesseurs; Scaramelli, Directorium Asceticum; Lombez *Traité de la paix intérieure.*

CAPUT QUARTUM.

De variis peccati divisionibus.

33) Ex hucusque traditis de natura (cap. 1), de subiecto (cap. 2), et de causis peccatorum (cap. 3), abunde patet, in eo utique convenire peccata omnia et singula,

quod sint libera legis divinae transgressio, sed in aliis multis inter se omnino differre possunt v. g. secundum ipsorum materiale vel formale, secundum subjecta vel causas impulsivas etc., adeo quidem ut merito a Theologis in varias classes dividantur, quarum praecipuae, praeter supra allegatas n°. 4, sunt sequentes:

34) 1^a divisio. Peccatum secundum ipsius *materiale* i. e. ratione entitatis suae physicae, dividitur in peccatum *commissionis* et *omissionis*, prout nempe fit positione actus prohibiti vel omissione actus praecepsi; sive prout fit transgressione legis negativae v. g. non concupisces, vel transgressione legis affirmativae v. g. memento, ut diem sabbati sanctifices.

37) 2^a divisio. Peccatum secundum ipsius *formale* i. e. ratione difformitatis suae cum voluntate divina, dividitur in *grave seu mortale*, et *leve seu veniale*, prout sc. voluntati divinae graviter vel leviter repugnet atque exinde vel animae inferat mortem, vel salva ejus vita, leviorem quandam infirmitatem, cuius curatio aut *venia* facilius obtinetur.

36) 3^a divisio. Peccatum ratione *subjecti remoti*, quod est ipsa persona peccans, dividitur in *proprium* et *alienum*, prout quis per semetipsum peccatum exsequitur, vel tantum concurrit, sive jubendo, sive consulendo, etc. ad peccatum, quod ab alio perficitur. Ratione autem *subjecti proximi*, quod est potentia actum peccaminosum exercens, in *internum* et *externum*, prout committitur solis potentiarum internis, nimurum sola voluntate aut ex ejus imperio aliis facultatibus animae internis, v. g. intellectu aut phantasia, vel concurrentibus etiam potentiarum externis, v. g. potentia visus, auditus, etc.

NOTA. Cum ultima hac distinctione peccati proxime cohaeret peccatorum distinctio in peccata *cordis*, et *oris*, et *operis*; quae tamen distinctio a diversis Theologis diverse accipitur, et ideo videtur paulo latius explicanda.

Prima acceptio. Quidam Theologi, attento discrimine, quod intercedit inter haec duo: *malitiam alicujus peccati contrahere*, ad quod per se sufficit actus internus voluntatis, v. g. simplex desiderium, et: *peccatum in sua specie complere aut consummare*, ad quod saepe requiritur actus externus, — distinguere solent: 1º. quoad *peccata interna*: inter ea, quae solis potentiiis internis in sua specie consummantur, ut haeresis, odium, etc. atque haec sola vocant stricto sensu peccata cordis, et ea, quae potentiiis internis quidem inchoantur, sed non consummantur nisi concurrentibus potentiiis externis, atque haec peccata pro diverso gradu consensus voluntatis ad iis simpliciter dicuntur: delectatio morosa aut desiderium, vel etiam generatim peccata interna, sed non stricto sensu peccata cordis; 2º. simpliciter distinguunt quoad *peccata externa* inter ea quae externe in sua specie consummantur, et haec si consummantur solo sermone vocant stricto sensu *peccata oris*, ut detractio, mendacium, blasphemia, vel perjurium; si vero consummantur alio sensu externo stricto sensu *peccata operis*, ut furtum; et ea quae externe quidem prodeunt, sed ad suam consummationem aliud adhuc opus externum requirunt; et haec generatim dicunt peccata externa non consummata.

Itaque in prima hac acceptione distinctio peccati in peccatum cordis, oris et operis semper denotat peccata in propria specie consummata ideoque inter se etiam specie diversa.

Secunda acceptio. Alii auctores hanc eandem distinctionem peccati multo latius sumunt, ita quidem ut quaevis peccata interna ab iis dicantur peccata cordis; quaecumque fiunt sermone, peccata oris; et quaecumque fiunt aliquo actu externo, peccata operis.

Unde juxta illos distinctio ista per se non denotat peccata in propria sua specie consummata ac specificie diversa, sed sensus ejus simpliciter hic est: peccatum specificie unum idemque dici potest *cordis*, quatenus interne concipitur, *oris*, quatenus incrementum accipit ex sermone, et *operis* quatenus opere externo completur. Exemplo sit peccatum adulterii, quod *cordis* est, in quantum a voluntate desideratur, *oris*, in quantum foveatur ex locutione cum adultera, et *operis*, in quantum adulterium ipsum reapse perficitur. Cfr. Bouvier, pag. 57 et nota, hanc ultimam acceptiōnē peccati cordis, oris et operis pro instructione populi esse p̄aeferendam, utpote ejus captui magis accommodatam.

37) 4^a divisio. Peccatum ratione causarum ad illud impellentium, dividitur in *peccatum ex ignorantia*, *ex infirmitate*, et *ex malitia*, prout nempe procedat vel ex ignorantia culpabili, quae tamen non sit affectata, vel ex antecedenti concupiscentia seu passione vehementi, vel ex mera perversitate, qua quis scienter et libere peccatum committit, nulla ad hoc impellente ignorantia aut passione. Vide supra 26.

NOTA. Ad peccatum *ex malitia* reduci potest: a) peccatum *ex ignorantia affectata*; cf. tract. de Act. Hum. n^o. 50 ad 3^{um}; b) peccatum *ex passione*, prius libere excitata ad intensius peccandum; Act. Hum. n^o. 57 ad 4^{um}; c) peccatum *ex consuetudine*, quam quis eradicare non vult,

Act. Hum. n°. 62, et tandem d) peccatum *ex contemptu* legis seu legislatoris, de quo dicetur infra in Parte 2^a.

38) 5^a divisio. Peccatum ratione objecti, cui *adversatur*, dividitur in peccatum *contra Deum*, *contra proximum* et *contra semetipsum*, prout sc. repugnat vel virtutibus nos recte ordinantibus erga Deum puta: fidei, spei, charitati et religioni; vel virtutibus nos recte ordinantibus erga proximum, v. g. justitiae et charitati fraternae; vel virtutibus, quibus recte ordinamur erga nosmetipsos, v. g. abstinentiae, sobrietati et castitati.

Sensu latiori tamen omnia peccata sunt contra Deum et semetipsum, quatenus nempe omnibus peccatis offenditur Deus, et nocumentum infertur ipsi peccanti. Cfr. Bouv., pag. 57.

39) 6^a divisio. Distingui praeterea solent:

1^o. Peccata *carnalia*, quae perficiuntur delectatione carnis, v. g. gula aut luxuria et *spiritualia*, quae delectatione spiritus consummantur, v. g. superbia, vana gloria Co, Bouv., pag. 56.

2^o. Peccata *in coelum clamantia*, quae nimirum, ob specialem atrocitatem contra vitam aut bonum proximi et contra naturae humanae dignitatem, divinam vindictam imprimis invocare dicuntur in S.S. Litteris. Talia autem sunt haec quatuor:

a) Homicidium malitiose commissum. Gen. IV : 10.

b) Sodomia. Gen. XVIII : 20.

c) Oppressio pauperum, viduarum, pupillorum. Exod. III : 7, XXII : 2.

d) Injusta retentio aut diminutio mercis operariorum Jac. V : 4.

3^o. Peccata *in Spiritum Sanctum*, ea scilicet, quibus homo

malitiose impedit et a se repellit media, quae ipsum a peccato retrahunt et ad emendationem ducere possunt. Hujusmodi recenseri solent sex, de quibus infra in Parte 2^a.

4^o. Peccata *capitalia*, quae non solum sunt per se peccata, sed etiam radix et causa impulsiva aliorum peccatorum.

Enumerantur septem, de quibus infra in Parte 2^a.

CAPUT QUINTUM.

De peccatorum proprietatibus.

40) Sub hoc titulo juxta morem, pluribus Moralistis usitatum, agimus:

1^o. De peccatorum distinctione specifica et numerica.

2^o. De eorum inaequalitate et connexione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PECCATORUM DISTINCTIONE SPECIFICA ET NUMERICA.

Vide Fasc^{um} 1^{um}.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PECCATORUM INAEQUALITATE ET CONNEXIONE.

41) Quaeritur 1^o: an omnia peccata inter se aequalia sint?

Resp. Dogma est fidei catholicae contra Jovinianum aliosque haereticos: non omnia peccata esse aequalia. Probatur autem haec veritas:

1^o. ex S. Script., quae clare docet unum peccatum esse altero majus, Joann. XIX:11; unum peccatum diffi-

cilius altero remitti, Matth. XII : 32; unum peccatum dignum esse morte, Gal. V : 32; alterum committi a justis quin desinant esse justi, Jac. III : 3.

Huc spectant etiam ii Evangelii loci, in quibus Christus Dominus quaedam peccata comparat rebus minimis v. g. festucis, muscis, alia vero maximis, v. g. camelio, trabi Cf. Luc. V : 42 et Matth. XXIII : 24.

2^o. Ex testimoniis Patrum, quae magno numero adducit Bellarminus, de *ammissione gratiae* Cap. V, seq. Exempli loco hic sit illud S. Hieronymi: „*sunt peccata gravia, sunt levia; aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem.*”

3^o. Ex ratione; cuivis enim evidens est, minus malum esse v. g. injuste occidere hominem, quam leviter eum percutere, blasphemare Deum, quam officiose mentiri. Et sane, inquit Palasthy, quid absurdius dici potest, quam ut ille, qui aliquando immoderatus riserit, et ille, qui patriam dolose tradiderit, peccasse judicentur aequaliter? At si propterea paria sunt, quia utraque delicta, mures et elephantes pares sunt, quia utraque animalia!

42) Quaeritur 2^o: ex quo desumatur peccatorum inaequalitas?

Resp. Ex variis capitibus desumitur, ut innuit S. Thom. 1^a, 2^{ae} Quaest. 73, Art. 3 et praecipue quidem:

1^o. ex parte objecti seu ex bono virtutis, cui peccatum opponitur; nam quo dignior est virtus, eo majus, ceteris paribus, est peccatum ei repugnans. Virtutes autem ratione dignitatis hoc ordine veniunt:

Charitas Dei, fides, spes, religio, poenitentia et deinde virtutes cardinales.

2^o Ex conditione ipsius actus, nam quo liberior,

intensior aut diuturnior est, eo magis, ceteris paribus, Deo displicet.

3º Ex conditione personae circa quam peccatur, et ita, ceteris paribus, gravius est odisse Deum quam hominem.

4º. Ex conditione ipsius personae peccantis, et ita inquit S. Thom. 2ª 2ae Quaest. 10, Art. 3 : „*ceteris paribus gravius peccat fidelis quam infidelis tum propter notitiam veritatis ex fide tum propter sacramenta quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit.*”

Dicitur hic ubique: *ceteris paribus*, nam fieri potest, ut peccatum per se ex objecto gravius aliunde tamen habeat aequalem tantum vel etiam minorem malitiam. Sic blasphemia ex objecto gravior est quam homicidium et tamen ratione passionis, ex qua fiat, potest esse minor offensa Dei quam homicidium plene deliberatum. — Quapropter, ut recte monet Lacroix, de peccatis n°. 117, dicendum est, quod non possit dari regula universalis, ex qua sciamus an hoc peccatum *in individuo* sit gravius altero nec ne, sed hoc esse definiendum ex complexione eorum omnium, ex quibus aggravari potest vel minui malitia.

43) Quaeritur 3º: an omnia peccata sint inter se connexa?

Resp. Ex S. Thoma 1ª 2ae Quaest. 73, Art. 3: omnia peccata inter se connexa non esse; nam diversa peccata tendunt ex intentione peccantis ad diversa bona commutabilia, sed diversa ea bona commutabilia saepius non connexa immo sibi invicem omnino contraria sunt. Ergo. —

Eo tamen sensu peccata mortalia dici possunt inter se connexa, quod omnia avertant a Deo et unum remitti non possit sine alio.

NOTA. Ratio, ob quam in Tract. de virtutibus resolvimus,

virtutes aliquo sensu inter se connexas esse; hic autem dicimus: omnia peccata inter se non esse connexa, sic exponitur a Bill., de Pecc. Diss. 3, Art. 1. Ea est differentia inter intentionem agentis secundum virtutem et intentionem peccantis: quod intentio agentis secundum virtutem sit ut morum regulam sequatur, et ideo omnium virtutem intentio in idem tendit et propter hoc omnes virtutes, saltem in statu perfecto, habent connexionem quamdam ad invicem. Intentio vero peccantis non est ad hoc ut recedat a morum regula, sed potius ut tendat in aliquod bonum commutabile et appetibile, a quo speciem sortitur. Atqui hujusmodi bona, in quae tendit intentio peccantis et a quibus specificatur, sunt diversa, nullam habentia connexionem ad invicem, immo quandoque inter se contraria, ut prodigalitas et avaritia, timiditas et audacia. Ergo.

PARS SECUNDA,

DE PECCATIS IN SPECIE.

44) In hac Parte secunda dicemus:

- 1º. De peccato mortali et veniali.
- 2º. De peccato commissionis et omissionis.
- 3º. De peccatis in Spiritum S^{tum}.
- 4º. De peccatis capitalibus.

CAPUT PRIMUM.

De peccato mortali et veniali.

45) Doctrinam hic tradendam reducimus ad sex articulos sequentes:

- 1º. De peccati mortalis et venialis notione et differentia.

2º. De requisitis ad peccatum mortale et veniale, nec non de signis quibus mortale et veniale possunt secerni.

4º. De divisione peccati mortalis et venialis.

4º. De modis quibus peccatum de se mortale fieri possit veniale per accidens.

5º. De modis quibus peccatum de se veniale fieri possit mortale per accidens.

6º. De peccati mortalis et venialis effectibus.

Hisce tandem septimo loco quasdam subjungemus *notationes de imperfectionibus*.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PECCATI MORTALIS ET VENIALIS NOTIONE ET DIFFERENTIA.

46) Quaeritur 1º: quid sit peccatum mortale, quid veniale?

Resp. ad 1º. Peccatum mortale est, transgressio perfecte libera legis graviter obligantis, i. e. obligantis sub dissolutione divinae amicitiae et sub reatu poenae aeternae. -- Vocatur autem talis transgressio *mortalis*, sive, ut ait Ap. Joan. Ep. I, c. 5 v. 17 *peccatum ad mortem*, a) quia destruendo amicitiam divinam seu gratiam sanctificantem, spiritualem animae infert mortem, juxta illud Sap. XVI : 14, „*Homo per malitiam occidit animam suam*”; sive, b) quia peccantem reum facit damnationis aeternae, quae ipsa damnatio in Apoc. XX : 4. nominatur *mors secunda*.

Resp. ad 2º. Peccatum veniale est: libera transgressio legis leviter tantum obligantis; vel etiam: legis graviter obligantis non perfecte libera violatio.

Dicitur autem talis transgressio seu violatio *venialis*;

quia ex *natura sua* facile consequitur veniam, cum divinam amicitiam non destruat nec reatum poenae aeternae inducat; sed solummodo minuat fervorem charitatis et poenam mereatur temporalem Cf. Bouvier, pag. 37.

44) Quaeritur 2º: undenam oriatur differentia inter peccatum mortale et veniale?

Resp. Differentia ista non oritur a) ex conditione extrinseca ipius peccantis, ut contendit Wicleff, qui omnia peccata reproborum mortalia, electorum vero venialia vocat; neque b) ex voluntate divina, in quantum haec pro nutu unum peccatum imputaret ad mortale, aliud ad veniale, quemadmodum voluit Lutherus, docens: peccata infidelium esse mortalia et imputari a Deo ad poenam aeternam, peccata vero fidelium esse veniale et non imputari sed condonari, excepto tantum peccato infidelitatis; verum oritur differentia ista ex ipsa peccati mortalitatis et venialis natura seu essentia, adeo ut contra memoratos haereticos, quorum erroribus aliquatenus accessisse videntur olim Gerson et recentius Hirscher in prima editione Theologiae suae Moralis, postea hac in re ab ipso auctore magis emendatae, ut latius enarrat Kleutgen, (Th. der Vorzeit 1 D. 2 Band. 8. Abtheilung.) omnino dicendum sit: peccatum mortale et veniale non per accidens sed vere essentia-
liter differre. Unde merito statuit Th. Wirceb. Tom IV de pecc. Disp. 2^{da}:

1^{mo}. Fide certum est, dari quaedam peccata proprie venialia, nec omnia esse mortalia.

2^{do}. Pariter fide certum est, peccata venialia non esse talia propter extrinsecam conditionem vel hominis peccantis vel Dei non imputantis.

3^{tio}. Ergo peccata venialia talia sunt *ex natura sua*.

Probatio harum propositionum videatur apud Bouv., p. 38 et partim etiam peti potest ex supra dictis de peccatorum inaequalitate.

NOTA. Si quaeras hic: in quo igitur praecise consistat essentialis differentia inter peccatum mortale et veniale?

Respondeo cum eadem Th. Wirc. l. c.

Non consistit in eo quod mortale sit contra legem et veniale contra consilium aut praeter legem; quodlibet enim peccatum est transgressio legis; sed in hoc primario sita est praedicta differentia, quod, juxta definitiones supra datae, mortale sit transgressio *perfecte libera* legis *graviter obligantis*, et veniale transgressio *libera* legis *leviter obligantis*, vel etiam legis *graviter obligantis non perfecte libera* violatio.

Primariae autem huic differentiae essentiali per se et necessario conjuncta est differentia essentialis haec altera: quod peccatum mortale sit conversio ad creaturam cum aversione a fine ultimo et contemptu Dei saltem virtuali; dum veniale sit adhaesio seu conversio quaedam inordinata ad creaturam absque proprie dicta aversione a fine ultimo et absque Dei contemptu. Etenim peccans mortaliter finem ultimum seu finalem suam felicitatem ponit in aliqua re creata et ex prae dilectione hujus rei creatae, qua frui cupit, divinae amicitiae saltem indirecte renuntiat. Econtra peccans venialiter ad Deum nihilominus sincere tendit, quamvis non omnibus mediis requisitis. Cf. Bouv., p. 40.

Ex hisce infertur, peccatum mortale et veniale etiam recte sic describi posse cum v. d. Velde, de Pecc. n^o. 51. *Mortale* est: transgressio legis usque ad contemptum Dei, *veniale*: transgressio legis secluso Dei contemptu.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REQUISITIS AD PECCATUM MORTALE ET VENIALE,
NECNON DE SIGNIS, QUIBUS MORTALE ET VENIALE
POSSUNT SECERNI.

§ 1. *De requisitis ad peccatum mortale.*

45) Tria sunt peccati mortalis requisita, nimirum:

1º. Ex parte intellectus: plena advertentia ad malitiam actionis aut omissionis.

2º. Ex parte voluntatis: liber voluntatis consensus.

3º. Ex parte objecti: gravitas materiae.

Unde si vel unum ex hisce tribus requisitis defuerit, numquam adest peccatum *mortale*, sed vel *veniale*, vel *nullum* saltem formale. Ratio est: quia peccatum mortale tam grande malum est, ut peccantem privet amicitia Dei, eumque cruciatibus aeternis addicat gravissimis; alienum autem videtur a justitia et bonitate divina tantis malis hominem addicere propter transgressionem legis in materia undeaque levi, vel propter transgressionem non plene deliberatam, ex qua nemo rationabiliter dici potest recessere a Deo et creaturis omnino adhaerere, uti contingit in peccante mortaliter.

NOTA. Ad accuratam horum requisitorum intelligentiam, eis singulis notamina quaedam specialia adjungenda videntur. Unde sit:

PUNCTUM PRIMUM.

De advertentia intellectus.

46) Praenot. 1º. Advertentia intellectus ad malitiam potest esse *plena*, *semiplena*, aut etiam *nulla*.

Plena censetur quando agens ita sibi praesens est

suique compos, quantum sufficit ad *perfectam deliberationem*; quae ipsa deliberatio perfecta juxta Voit. de pecc. n°. 282 tunc adest, si intellectus perfecte advertit objectum malum, quoad circumstantias, quibus moveri potest ad illud aversandum.

Aliis verbis: *plena* censemur advertentia, quando agens ita advertit ad malitiam, sicut homo, plene vigilans et nulla notabili turbatione impeditus, advertit quid agat.

Semiplena censemur, quando agens ob turbationem aliudve obstaculum impeditur, ne rem considerare possit quantum satis est ad perfectam deliberationem; aliis verbis: quando agens imperfecte tantum et leviter apprehendere potest malitiam actionis, quemadmodum contingere solet, juxta Perin. de pecc. Quaest. 2, Art. VI, semi-fatuis, valde juvenibus aut valde stultis, et (ut addit Sasserath de pecc. Disp. 2^{da}) senibus repuerascentibus, vel etiam iis, qui sunt semi-dormientes aut semi-ebrii, qui ex aliqua vehe-menti passione aut nimia scrupulositate aliquid faciunt ita ut vix sciant quid agant, qui parvam admittunt neglig-entiam in impediendo malo v. g. si non *statim* conantur repellere cogitationes dishonestas, qui per levem inconsi-derationem ponunt causam ex qua malus effectus sequitur v. g. mors sui ipsius vel alterius, etc.

Nulla tandem adesse censemur advertentia, quoties intel-lectus ita rapitur a delectabilitate objecti, ut nihil malitiae moralis in eo agnoscat, uti accidit in motibus primo primis.

Praenot. 2º. Ipsa advertentia plena aut semiplena potest esse *actualis* vel *virtualis*. *Actualis* est, quando quis hic et nunc actu advertit ad malitiam; *virtualis* est, quando actu quidem non advertit, sed certo adverteret, nisi adver-tentiae *culpabiliter* posuisset impedimentum.

Hisce praenotatis:

47) Quaeritur: quae advertentia requiratur ad peccatum mortale?

Resp. Requiritur advertentia *plena*, qua scil. quis expedita mente cogitet, suspicetur aut dubitet de actionis aut omissionis malitia gravi saltem in genere et in confuso, puta: tanquam de aliquo inductivo odii Dei aut damnationis aeternae. Verum sufficit, ut advertentia haec plena sit *virtualis*, qua scil. quis actu non advertit ad gravem malitiam, sed adverteret, si advertentiae *ex gravi culpa* non posuisset impedimentum, quod quidem fieri potest: sive per negligentiam, sive per passiones, sive per pravum habitum, sive ob nimiam in agendo praecipitantiam. Quodsi tamen ejusmodi impedimentum *ex gravi culpa* non sit positum, tunc ad mortale requiritur, ut advertentia plena sit *actualis*.

Unde etiam, ex mente S. Lig. n°. 4, recte dices cum Gousset, des Pêchés n°. 224 „pour pécher mortellement il faut toujours être actuellement éclairé sur la malice de l'acte, ou sur le danger de pécher, à moins qu'on ne l'ait aperçu dans le principe, quand on a posé la cause de l'acte subsequent”, cf. Tract. de Act. Hum., ubi *de voluntario indirecto*, n°. 30 seq.

PUNCTUM SECUNDUM.

De consensu voluntatis.

48) Praenot. 1º. Consensus est acceptatio seu complacentia voluntatis liberae in objecto, quod ab intellectu proponitur.

Dico: *quod ab intellectu proponitur*; nam ex axiomate

nihil volitum nisi cognitum sequitur, ibi nullum adesse posse voluntatis consensum, ubi nulla praecesserit cognitio seu intellectus advertentia. Porro, voluntas post intellectus advertentiam, in objectum cognitum ferri potest tripliciter, nimirum: *a) positive resistendo* et tunc, uti patet, nullus in objectum consensus adest; vel *b) mere negative se habendo*, ita ut objectum nec positive approbet, nec ei, quantum satis est, resistat, et tunc adest quidem consensus aliquis sed impropus et per se ad mortale non sufficiens, ut dictum est in Tract. de Act. Hum. n^o. 59; vel *c) positive consentiendo*; et tunc adest consensus proprius dictus, de quo solo hic agitur.

Praenot. 2º. Consensus hic positivus potest esse perfecte voluntarius seu *plenus*, vel imperfecte voluntarius seu *semiplenus*. *Plenus* erit, quando voluntas libere acceptat aut approbat objectum malum, cum plena advertentia ad ejus malitiam. *Semiplenus* erit, quando voluntas libere quidem acceptat objectum malum, sed cum semiplena tantum advertentia ad ejus malitiam; si enim nihil est volitum nisi sit cognitum, etiam nihil erit plene volitum nisi sit plene cognitum. — Uterque autem consensus, plenus scil. et semiplenus, est vel *expressus* seu directus, vel *implicitus* seu indirectus, prout voluntas objectum malum acceptet directe in se vel tantum indirecte in sua causa, qui enim culpabiliter ponit causam ex qua effectus malus praevideatur secuturus, ponendo causam, censemur etiam implicite velle effectum. Cf. Tract. de Act. Hum. n^o. 30 seq.

Hisque praemissis:

49) Quaeritur: quis requiratur consensus ad peccatum mortale?

Resp. Requiritur consensus *plenus*, quo scil. quis post plenam advertentiam ad gravem malitiam objecti illud libere amplectitur. Verum sufficit ut consensus hic plenus, sit *virtualis*, quo nempe quis objectum istud graviter malum amplecti censetur, non quidem directe in se, sed in sua causa, ab ipso *cum gravi culpa* posita. Quodsi tamen ejusmodi causa *cum gravi culpa* posita non sit, tunc ad mortale necessarius est etiam consensus *expressus*, eodem modo ac supra dictum est de advertentia actuali et virtuali.

NOTA. Quum frequenter occurrat casus, quo homo, peccato jam commisso postea dubitet de plena advertentia, et de pleno consensu; hinc merito instituetur hic sequens:

Q u a e s t i o p r a c t i c a .

50) Quomodo in tali dubio discernere et dijudicare possimus, utrum adfuerit plena advertentia, plenusque consensus, an vero advertentia semiplena aut consensus semiplenus tantum?

Resp. Non dantur quidem indicia, quae hoc tam perfecte ostendunt, ut nullus unquam dubitationis locus remaneat; quis enim hominum perfecte dignoscere poterit ea, quae omnino interne in anima] perficiunter, qualia sunt tum advertentia, tum consensus. Unde fateri oportet cum S. Augustino; „*quae sunt gravia, quae levia peccata, non humano sed divino pensanda sunt judicio.*” — Verumtamen plura certe dantur indicia, e quibus in tali dubio de alterutra parte prudenter praesumi ac judicari potest.

Ejusmodi autem indicia, quae omnia fundantur in hoc axiomate „*a communiter contingentibus solida stat prae- sumptio,*” praecipue sunt sequentia:

1^{mo}. Si quis dubitet, an peccatum de se grave, quod patravit ante annum septimum, fuerit plene deliberatum, rationabiliter praesumere potest, non fuisse plene deliberatum, ideoque se non peccasse mortaliter. Idem esto judicium, si quis dubitet, an tempore, quo peccatum commisit, fuerit e somno plene excitatus vel semi-dormiens, sui compos vel omnino distractus. Ita Bonacina et plures alii.

2^{do}. Si quis, advertens ad peccatum, ita se cognoscit affectum ac firmiter dispositum, ut peccatum non committeret quamvis illud *facile absque ullo impedimento* timoris, infamiae, etc. committere posset; hic in dubio recte prae-sumet non adfuisse plenam advertentiam aut plenum consensum atque ideo se non peccasse mortaliter. Ita S. Lig.

3^{tio}. Si quis *statim* ac reflectat super actum commis-sum, dubitet de consensu et in se sentiat aversionem ac tristiam; rationabiliter judicare poterit non adfuisse ad-vertentiam aut consensum sufficientem ad peccatum mortale. Ita Sporer et alii plures.

4^{to}. Si quis sit timoratae conscientiae et peccata mortalia abhorreat, iisque consentire non soleat, hic in dubio recte judicat, se non habuisse advertentiam aut consensum requisitum ad peccandum mortaliter. Ita Bonacina et Collet. — Secus vero dicendum, si sit homo dissolutae vitae, qui peccatis solet consentire. Cf. Lig. de Pecc. n°, 55 et de Poenit. n°. 476.

Itaque ex his et similibus indiciis, quae pro casuum diversitate aliquando manifestius, aliquando minus clare probant, prudens confessarius, moraliter judicium feret de statu poenitentis — quinimo ipse poenitens, quando circa peccata commissa, ex ejusmodi indiciis vere pro-

babiliter opinatur se mortaliter non peccasse, stricte non tenetur ea confiteri.

Observa. Non raro contingit ut timorati aut scrupulosi putent se dare consensum, qui reapse tamen non datur, sed solummodo objective in eorum apprehensione existit. Daemon enim fraudulenter quandoque tentationes injicit sub formula significante consensum v. g. sub formula *volo hoc facere, vellem hoc facere sive peccatum sit sive non*; dum tamen in homine sic tentato longissime absit *voluntatis* consensus, imo potius adsit intentio contraria potius moriendi quam mortaliter peccare.

Saepe etiam iisdem accidit, quod, insurgente tentatione, eorum appetitus subito abripiatur naturaliter ad propositum objectum sensibile, ita quidem ut sibi videantur consentire, dum tamen, se recolligentes, illud abhorreant ac detestentur; quo casu iterum non adfuit consensus saltem ad peccatum mortale sufficiens, imo saepe nec ad veniale. — Curet igitur confessarius ne hujusmodi deceptionibus homines pii in anxietates conjiciantur.

PUNCTUM TERTIUM.

De gravitate materiae.

51) *Materia peccati* est illud objectum, circa quod actio aut omissio proxime versatur; et ita v. g. materia blasphemiae, erit: locutio Deo injuriosa; materia furti: surreptio rei alienae invito rationabiliter domino. — Hoc praemisso, quaeritur: quandonam materia peccati sit *gravis*?

Resp. Ad hoc dignoscendum in primis attendere oportet, a) an lex quae violatur proxime intendat finem *magni momenti*; b) an peccatum huic fini *notabiliter* repugnet;

c) in legibus humanis insuper attendi debet, an legislator voluerit obligare sub gravi; atque his attentis generatim dici potest: Materia peccati *gravis* est 1^{mo} quando *notabiliter* repugnat legi, quae *a Deo* lata est ex fine *magni momenti*, et 2^{do} quando *notabiliter* repugnat legi, quae *ab homine* lata est tum ex fine *magni momenti*, tum ex intentione obligandi *sub gravi*.. — Cfr. Tract. de Leg. n°. 99—106.

NOTA. Ut autem materia *gravis* peccatorum in particuli accuratius determinetur, assignari solent signa quae-dam specialia, de quibus sit:

§ 2. *De signis, quibus peccatum ratione materiae mortale secerni possit a peccato ratione materiae veniali tantum.*

52) Non inveniuntur ejusmodi signa tam exacta et definita, quibus in omni casu particulari illud certo discerneremus valeamus.

Unde et in hac quaestione iterum ratio habenda est celebris effati S. Augustini, supra allati: *quae sunt gravia etc.* Attamen ex Communi Theologorum doctrina recte statuuntur haec duo principia generalia. (Principia magis specialia trademus in Art. 3 seq. ubi de divisione peccati mortalis et venialis).

Principium 1^{um}. Toties peccatum de se, seu ratione materiae mortale est, quoties si plene deliberate committitur, vel ex S. Scriptura, vel ex Ecclesiae doctrina aut definitione, vel ex Doctorum consensu, vel ex ratione naturali *gravem* judicatur habere diffinimatatem sive contra Deum, sive contra proximum, sive contra semetipsum. Cfr. Bouv. p. 40 seq.

Principium 2^{um}. E contra, nisi habeatur, vel auctoritas expressa S. Scripturae, vel auctoritas expressa canonis seu determinationis Ecclesiae vel Doctorum consensus, vel evidens ratio, non nisi periculose peccatum mortale determinatur.

Ita fere ad verbum S. Antoninus; citatus apud Lig. 52, qui ibidem monet confessarios et Theologos, ut sincere advertant, in quale discrimen se immittant illi, qui rigidam doctrinam sectantes, facile damnent homines de peccato mortali in iis, in quibus gravis malitia evidentia ratione non appareat: eos sic exponendo periculo damnationis aeternae.

Recolantur hic antea tradita in Tract. de Leg. ubi de lege dubia n^o. 91 seq., et in Tract. de Consc. ubi de opinione probabili, n^o. 36 seq.

Notandum. De requisitis ad peccatum veniale non est quod singillatim dicamus, cum ista requisita per se intelligantur ex iis, quae de requisitis ad mortale sunt notata.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DIVISIONE PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

§ 1. *De divisione peccati mortalis.*

53) *Prima divisio.* Peccatum mortale dividitur in *mortale ex genere suo* et *mortale per accidens*.

Mortale ex genere suo dicitur peccatum illud, quod secundum se i. e. manendo in propria sua specie *potest esse mortale*, v. g. furtum, detractio, scandalum, etc. Mortale per accidens illud dicitur peccatum, quod secundum se seu manendo in propria sua specie mortale esse

non potest, sed tantum ex adjuncta quadam circumstantia, puta: ex circumstantia conscientiae erroneae, finis intenti, contemptus, etc. de quibus infra n°. 83.

Secunda divisio. Mortale ex genere suo subdividitur in mortale *ex toto genere suo* et mortale *ex genere suo non toto*. Mortale ex toto genere suo illud est peccatum, quod numquam admittit parvitatem materiae. Mortale ex genere suo non toto illud est peccatum, cuius materia gravis vel levis esse potest. Unde:

54) Quaeritur 1º: quaenam sint peccata mortalia ex toto genere suo; aliis verbis: quaenam peccata ex genere suo mortalia numquam admittant parvitatem materiae?

Resp. Generatim statui potest cum Voit, *de pecc.* n°. 305: Non datur parvitas materiae in illis peccatis, in quibus semper reperitur integra ratio gravis malitiae, eo quod scil. versentur circa rem *absolute gravem* et quasi in indivisibili consistentem. — Cf. Lig. n°. 56.

Ex hoc autem principio generali deducere possumus tres regulas speciales, ab Auctoribus communiter admissas:

Regula 1^a. In iis peccatis non datur parvitas materiae, per quae immediate ac directe imputatur Deo imperfectio vel defectus perfectionis.

Regula 2^{da}. In iis peccatis non datur parvitas materiae, in quibus admissio parvitatis materiae cederet in gravissimum detrimentum generis humani.

Regula 3^{tia}. In iis peccatis non datur parvitas materiae, quae semper praejudicant i. e. aequaliter obstant fini, a lege sub gravi culpa intento.

Resolves ex regula 1^a. Ergo non datur parvitas materiae:

a) in peccatis quae directe contraria sunt virtutibus theologicis, ut: infidelitas positiva, desperatio, odium Dei;

cum per quodlibet horum peccatorum, saltem in actu exercito, Deo immediate tribuatur defectus perfectionis vel positiva imperfectio; nam si spernis veritatem a Deo revelatam et satis propositam Deo directe tribuis defectum veracitatis; si desperas, defectum infinitae bonitatis ac potentiae etc. Pariter;

δ) in peccatis contra virtutem religionis, quae directe vergunt in contumeliam Dei, qualia sunt v. g. blasphemia, perjurium assertorium, perfecta superstitionis, et simonia juris divini.

Resolves ex regula 2^{da}. Ergo non datur parvitas materiae:

a) in *luxuria directe volita*, ita ut omnis venerea delectatio directe intenta et acceptata de se semper sit mortaliter mala; etenim admissa semel hac in re materiae levitate, absque dubio ob proclivitatem naturae nostrae corruptae in venerea omni turpitudini locus pateret. Similiter;

δ) in *homicidio* et ex sententia, quam Sporer dicit veriorem, in *mutilatione proprie dicta*; saepissime enim haec fierent cum ingenti damno generis humani, nisi essent semper sub gravi prohibita.

Resolves ex regula 3^{ta}. Ergo non datur parvitas materiae:

a) in violatione jejunii naturalis ante S. Communionem; nam finis, a lege Ecclesiae sub gravi intentus, est: ne cibo coelesti praeponatur terrestris; huic autem fini aequaliter contrariatur, sive multum sive parum sumitur. Item;

δ) in fractione saltem directa sigilli confessionis, nam materia quaeviis includit totam rationem praeecepti de sigillo servando.

55) Quaeritur 2^o: quaenam sint peccata mortalia ex genere suo non toto; aliis verbis: quaenam peccata mortalia ex genere suo admittant parvitatem materiae?

Resp. In illis peccatis dari potest parvitas materiae, in quibus non semper invenitur integra ratio gravis malitiae, eo quod scil. versentur circa rem non absolute gravem, sed ita divisibilem ut possit esse magna vel parva. Exempli loco sit furtum, cuius materia est res aliena, quae quidem res aliena non est absolute gravis, sed divisibilis in aliquid grave v. g. 100 florenorum, et in aliquid parvum, v. g. unius assis.

Exinde *resolves* cum respectu ad praecepta Decalogi, 1º ergo dari potest parvitas materiae in peccatis contra praecepta secundae tabulæ quae concernunt proximum et seipsum, exceptis luxuria directe volita, homicidio et juxta Sporer etiam mutilatione proprie dicta. Ratio est quia praecepta ista non versantur circa rem *absolute* gravem.

Ob eamdem rationem 2º dari potest parvitas materiae in peccatis contra ea praecepta primæ tabulæ quae cultum Divinum concernunt, puta: Orationem, reverentiam erga res sacras, observationem voti aut juramenti promissorii, etc.

Neque dicas hisce peccatis applicandam esse regulam primam supra n°. 54 traditam; nam per haec peccata contra cultum Divinum, non semper Deo directe imputatur imperfectio aut defectus perfectionis, sed saepius solummodo non praestatur id ad quod perfectio divina movere debuerat.

NOTA. Ulterior doctrinae in hoc § traditae applicatio fiet in Tractatu de Decalogo ubi de singulis peccatis in particulari dicetur.

§ 2. *De divisione peccati venialis.*

56) Peccatum veniale dividitur in veniale *per se* seu ex genere suo et veniale *per accidens*. Veniale *per se*

dicitur peccatum illud, quod secundum se i. e. manendo in propria sua specie non potest esse mortale. Veniale *per accidens*, quod de se est mortale ex genere suo, sed de facto tantum veniale propter parvitatem materiae vel aliam circumstantiam a mortali excusantem, de quibus infra n^o. 82.

Hic autem:

57) Quaeritur: quaenam peccata sint venialia per se, seu ex genere suo?

Resp. Ea peccata sunt de se venialia, in quibus semper reperitur ratio malitia levis tantum, eo quod nempe versantur circa rem *absolute levem* i. e. circa rem quae ex natura sua nec Deum, nec proximum, nec nosmetipsos graviter laedit: Talia autem generatim sunt:

a) Ea, quae repugnant *veracitati*, ut mendacium jocosum vel officiosum et hypocrisis.

Idem asserit v. d. Velden, Tom 1, p. 53, de peccatis, quae repugnant *fidelitati* aut *gratitudini*.

b) Ea, quae adversantur *liberalitati* v. g. prodigalitas et nimius appetitus pecuniae.

c) Ea, quae repugnant *modestiae*, ut, nimia cura vel neglectus vestium, excessus in risu, jocis etc., immo, quoties agitur de appetitu aut usu alicujus rei indifferentis vel licitae, statui posse videtur cum Lessio aliisque pluribus hoc principium universale: *Cum aliquid de se malum non est, sed indifferens, tunc excessus in ejus appetitu vel usu peccatum est de se veniale; secluso gravi nocimento aliave malitia extrinseca.* Quapropter, praeter excessus jam enumeratos liberalitatis et modestiae, per se venialis tantum erit excessus non enormis in cibo et potu, in usu matrimonii, in apparatu conviviorum; item excessus in appetitu honoris, laudis, recreationis et similium

in quibus medium tenere est difficile et maxime verum
illud Jac. cap. III : 2: *in multis offendimus omnes.*

Ita Sporer cap. 8, Sect. III cfr. Lig. de pecc. n^o. 52.

ARTICULUS QUARTUS.

**DE MODIS, QUIBUS PECCATUM PER SE MORTALE FIERI
POSSIT VENIALE PER ACCIDENS.**

58) Quatuor modis peccatum de se mortale fit veniale
per accidens, nimirum:

- 1º. Ob defectum plenae advertentiae.
- 2º. Ob defectum pleni consensus.
- 3º. Ob defectum gravitatis materiae, qui tamen defec-
tus solummodo contingere potest in peccatis mortalibus
ex genere suo, non vero in iis quae mortalia sunt ex
toto genere, nam haec non admittunt parvitatem materiae.
- 4º. Ratione conscientiae erroneae; quando nempe ali-
quis inculpabiliter vel saltem sine gravi sua culpa, judicat
aliquid de se mortale, esse veniale tantum.

ARTICULUS QUINTUS.

**DE MODIS, QUIBUS PECCATUM DE SE VENIALE FIERI POSSIT
MORTALE PER ACCIDENS.**

59) Septem potissimum modis peccatum de se veniale
fit mortale per accidens, videlicet:

- 1º. *Ratione conscientiae erroneae;* puta, si quis erronee
judicat mortale esse, quod tantum est veniale.
- 2º. *Ratione finis mortaliter mali* v. g. si quis jocose

mentitur, ut alterum ad opus turpe seducat. Adverte tamen, in tali casu non dari duplex peccatum mortale, sed unum veniale mendacii, alterum mortale seductionis; ideoque pro confessione sufficere, ut exprimatur conatus iste ad alium seducendum.

3º. *Ratione nimii affectus* i. e. tantae adhaesionis ad objectum de se venialiter malum, ut propter illud *actualiter* parati simus Deum graviter offendere v. g. si quis ita lusui inordinato est addictus, ut potius gravem obligationem suam, ut auditionem Missae in die Dominica, velit omittere quam lusum; item si mulier potius velit debita contrahere, quae solvendo impar est, quam superfluum deponere ornatum. Per se tamen pro confessione satis erit, ut hujusmodi peccantes exponant illud peccatum mortale, ad quod committendum ita fuerant parati. Cfr. Lig. in Hom. Apost. n°. 68.

Diximus: ut *actualiter* parati simus; nam ut in his et similibus casibus peccatum mortale incurritur, non sufficit affectus hujusmodi tantum habitualis sed omnino requiritur actualis, quo scil. quis *actualiter* dispositus est ad peccandum mortaliter. Non enim, ut notat Ligorio n°. 60, ad culpam imputatur id, ad quod committendum habitu tantum es paratus.

4º. *Ratione gravis scandali* v. g. si per colloquium leviter dishonestum proximo praebes occasionem ruinae spiritualis; vel etiam ratione *gravis damni temporalis* v. g. si instrumentum parvi valoris auferendo causa es, cur artifex cum notabili damno opus suum perficere nequit.

5º. *Ratione periculi incidendi in mortale* v. g. si per curiosam lectionem te exponas *periculo proximo* consentiendi in objectum graviter malum; nam qui vult *tale*

periculum, eo ipso censetur etiam velle ipsum peccatum, quod cum eo proxime conjunctum est.

Dicimus: *periculo proximo*, nam ob solum periculum remotum actus venialis in mortale non transfertur, ut docet sententia communis.

Quaeres autem quandonam periculum censeri debeat proximum:

Resp. *a)* quando periculum tale est, ut lapsus sit moraliter certus. Ita omnes.

b) quando periculum tale est ut lapsus sit probabilis. Ita juxta sententiam quam S. Ligorio n°. 63 dicit omnino tenendam; quamvis enim periculum sit tantum probabile, recte tamen censetur animae suae salutem contemnere, qui huic periculo sese exponit *absque justa causa*. Aliud sane est si quis periculo *probabili tantum* sese exponeret ex *justa et proportionata causa*, nam tunc prudenter sperare potest, se, Deo auxiliante lapsurum non esse.

6º. *Ratione contemptus formalis* sive legislatoris qualis sive legis qua procedentis a potestate legislativa. Ut haec clare intelligantur, advertite duplicem distinguunt contemptum.

Alius est *generalis* qui per se reperitur in quavis transgressione legis et non constituit peccatum ab ea distinctum.

Alius est *specialis* seu *formalis*, qui in eo consistit, quod quis directe et expresse legem violat ideo praecise, quia despicit legislatorum *qua talem vel legem ut latam a potestate legislativa* v. g. si quis praeceptum transgreditur ex hac intentione, quia legislator qua talis hoc prohibuit, ideo expresse faciam, quia hoc praeceptum est, ideo hoc praecise omittam. Hujusmodi autem contemptus transfert peccatem per se veniale in mortale, idque non

solum si contemptus iste immediate respicit Deum legesque divinas, sed etiam si respicit hominem legislatorem legesque humanas; contemptus enim hominis tanquam potestatem a Deo habentis seu tanquam vices Dei gerentis, in ipsum Deum redundat ut patet ex Rom. XIII : 2 : „*qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*”

Diximus :

a) *quia despicit legislatorem qua talem*; nam si legislator *humanus* contemnitur non qua legislator sed qua persona privata quae judicatur imprudens, ingrata, tunc, licet sic levius vel gravius peccari potest, non tamen adest contemptus formalis legislatoris: de quo agimus. Loquimur autem hic de legislatore *humano*, quia contemptus Dei, sub quacumque ratione fiat, semper mortaeiter malus est;

b) *vel legem ut latam a potestate legislativa*; nam si quis agnoscit quidem auctoritatem superioris *humani* sed contemnit rem ab eo praeceptam tanquam vanam, inutilem etc., vel tanquam sub levi tantum praescriptam; tunc: licet tali judicio peccari possit, non tamen habetur contemptus formalis legis. Loquimur hic iterum de lege superioris *humani*; quia contemptus legis *divinae* tanquam vanae aut inutilis est gravissima erga Deum injuria. Quin immo si judicetur aut dicatur Deum posse inutilia ac vana praecipere, committitur error in fide et blasphemia. Aliud esset si quis materiam a Deo praeceptam parvi pendat non qua inutilem ac vanam sed quia est levis Dei offensa.

7º. *Ratione multiplicationis*, qui tamen modus non universalis sed certae hypothesi adstrictus est. Unde:

Quaeritur: quandonam peccata de se venialia fieri possint mortalia ratione numeri.

Resp. 1º. Peccata venialia, quantumvis multiplicata numquam constituunt mortale saltem per se; nisi eorum materiae vel effectus coalescant in unum objectum grave.

Dicitur *saltem per se*; quum enim per venialia multiplicata magis magisque minuatur fervor charitatis, hinc plures moralistae opinantur eum, qui nullo modo curans venialia, solum vitare velit mortalia graviter peccare saltem ratione periculi proximi incidendi in mortale. Sed S. Ligorio Libro V, n°. 12 hoc periculum proximum non admittit nisi de eo per experientiam vel aliunde constiterit.

Resp. 2º. Quodsi autem plura venialia ratione materiae coalescant in unum objectum grave, uti evenit in parvis furtis, laboribus servilibus in die Dominica, comeditionibus in die jejunii etc.; tunc ultimus actus complens materiam gravem est peccatum mortale. Immo si ab initio intenditur objectum grave, tunc etiam ab initio peccatur mortaliter ratione finis intenti; et ita qui saepius committit furtum minutum ex intentione ab initio habita pervenienti ad magnam summam, is jam ab initio peccati mortaloris reus est.

ARTICULUS SEXTUS.

DE EFFECTIBUS PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

§ 1. *De effectibus peccati mortalis.*

60) Praecipui peccati mortalis effectus sunt:

1º. *Gravis Dei offendit;* etenim ad rationem gravis offendit duo requiruntur:

a) ut actio aut omissio alteri valde displiceat;

b) ut sit notabiliter contra alterum, adeo quidem ut

hic jure merito eam aegerrime ferre possit. Atqui peccatum mortale:

- a) summopere Deo displicet, et
- b) graviter repugnat contra legem aeternam seu contra Deum, adeo ut Deus illud aegerrime ferat et quidem sub dissolutione amicitiae suae et sub reatu poenae aeternae. Ergo peccati mortalitatis effectus est gravis Dei offensio, quae paucis sic describi potest: supremae dignitatis, auctoritatis et amicitiae divinae violatio et contemptus.

Qua ratione haec Dei offensa dici possit infinita vide Bouvier, p. 46.

2º. Jactura aut *amissio gratiae sanctificantis*; de qua agitur in Tract. dogmatico de Gratia. *Eras*, inquit S. Augustinus (alloquens animam peccato mortali infectam) *ERAS sponsa Christi, ERAS templum Dei, ERAS habitaculum S. Spiritus; et cum dico toties ERAS, necesse est ut toties ingemiscam, quia non es quod ERAS vel FUISTI.*"

3º. *Turpissima animae macula* quae recte confundi videtur cum peccato mortali. habituali Cfr. Bouvier, p. 45, ubi ex SS. Litteris et ex Conc. Trid. veritas hujus effectus ostenditur.

NOTA. Si quaeras hic, in quo specialiter consistat illa macula animae: respondeo; certum quidem est eam ponи non posse in sola obligatione ad poenam, uti constat ex sequenti propositione damnata, quae est 56^a inter propositiones Baji: „in peccato duo sunt: actus et reatus; trans-eunte autem actu, nil manet nisi reatus sive obligatio ad poenam." Verum, si ulterius quaeratur de natura maculae, plures et non raro subtilissimae occurrunt theologorum sententiae, de quibus dicere licet cum Bouvier: ab iis referendis, utpote nullius practicae utilitatis, abstinentum

esse ducimus. Generatim tamen ex S. Thoma 1^{ma} 2^{dae} Quaest. 86 Art. 1 sic statui potest: **maculam** eam consistere in eo quod homo per peccatum mortale se privet ea pulchritudine sive eo splendore qui animae inesse debet; hic autem splendor oritur tum ex **gratia** sanctificante tum ex conformitate cum lege aeterna et **recta** ratione, quae gratia et conformitas per peccatum amittuntur.

4º. *Cordis perturbatio* sive *remorsus conscientiae*, de quo legimus apud Isaiam LVII : 20: „*Impii quasi mare fervens* quod quiescere non potest. . . Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.”

5º. *Amissio meritorum omnium*, quae in statu gratiae anima sibi comparaverat: „Omnes enim justitiae ejus, ait Ezechiel XVIII : 24, quas fecerat, non recordabuntur;” et *inabilitas*, perdurante **statu** peccati mortalis, *ad nova merita de condigno acquirendæ in ordine ad vitam aeternam*; nam, ubi deest charitas, nihil est quod de condigno meretur gloriam. Quapropter miserrima peccatoris sors sic recte simul ac pulcherrime describitur a S. Augustino: „*vivit corpus ejus, sed mortua est anima ejus, mortuum est quod melius est ejus. Vivit habitaculum, mortuus est habitator. Non sunt in te, Christiane, viscera pietatis, si luges corpus a quo recessit anima, et non luges animam a qua recessit Deus.*”

6º. *Reatus culpae et poenae*. Nascitur nempe Deo ex peccato mortali commisso quasi jus duplex, videlicet:

- a) jus ad inimicitiam et odium peccatoris;
- b) jus ad infligendam peccatori poenam.

Huic autem dupli juri ex parte Dei, correspondet duplex reatus a parte peccatoris ipsius, nimirum:

- a) reatus culpae, i. e. debitum sustinendi odium et

inimicitiam divinam, adeo ut peccator, teste S. Scriptura,
Deo vere sit abominabilis, et

b) reatus poenae i. e. debitum sustinendi poenam peccati a Deo infligendam. Poena haec iterum duplex est: una quae solvitur in hac vita, ut varia morborum genera, bella, afflictiones spiritus et conscientiae angores, de quibus ultimis S. Augustinus ad peccatorem verbum dirigen-s ait: „*O miserum si haec sentis, sed miseriorem si non sentis.*” Altera, quae solvenda est post hanc vitam: vel temporarie in purgatorio, si peccatum fuerit quidem deletum quoad culpam, sed non totaliter quoad poenam; vel aeterne in inferno, si peccatum non fuerit deletum quoad culpam.

De hac poena vide Bouvier, p. 47.

§ 2. *De effectibus peccati venialis.*

61) Effectus peccati venialis praecipue sunt sequentes:

1º. *Offensa Dei*, nam peccatum etiam veniale Deo displicet et aliquo modo est contra Deum, utpote repugnans ipsius voluntati adorandae. Unde peccatum etiam veniale est aliquid pejus omnibus mundi malis collective sumptis, pejus ipsa morte, imo pejus inferno, quatenus infernus est mera poena; ista enim omnia sunt mala creaturae, peccata vero etiam venialia certo sensu sunt mala Dei, etsi gratiam ejus non extinguant.

2º. *Quaedam macula in anima*, non quidem ejusmodi quae animam privat pulchritudine proveniente ex gratia sanctificante etc.; sed quae pulchritudinem illam aliquatenus minuit, sicut nebula quaevi aliquatenus impedit lucem.

3º. *Reatus culpae* i. e. debitum sustinendi aliquam

Dei displicantiam, et *reatus poenae* i. e. debitum sustinendi venialis peccati poenam, quae poena tamen per se non est aeterna, sed temporanea in hac vita aut post hanc vitam in purgatorio. Cfr. Bouv., p. 53.

4º. Tandem peccatum veniale minuit fervorem charitatis aut gratiae sanctificantis, minuit timorem Dei, auget animi temorem, impedit gratias speciales, quibus a Deo donari solent justi in amore suo ferventes juxta illud Matth. VII : 2 : „*in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*”; atque ita *paulatim disponit ad mortale*, uti iterum testatur Ecclesiasticus XIX : 2: „*qui spernit modica, paulatim decidet*,” et S. Gregorius Magnus: „*a minimis incipiunt, qui ad magna proruunt*.” Quapropter periculose negliguntur venialia, maxime ab iis, inquit Scavini, qui ad majorem perfectionem tenentur, quales sunt Sacerdotes, Religiosi et adolescentes ad Sacrum ministerium vocati. His igitur, ait Pallathy, alacriori animo declinanda sunt venialia; quia altae turres graviori casu ruunt, feriuntque summos fulmina montes. Corruptio optimi pessima. Cfr. Bouvier, p. 54 ad 4^{um}.

NOTANDA de *imperfectionibus* necnon de sensu verborum ex offertorio Missae: *pro innumerabilibus peccatis et offenditionibus et negligentias meis*:

1º. Imperfectio vocatur actio vel omissio repugnans consilio in re ad mores spectante, quae ex se non est prohibita nec praecepta. Unde imperfectio est vel contra inspirationem divinam, vel contra dictamen rectae rationis consulendo impellens ad honestiora et decentiora, vel contra ordinationem superioris, quae tamen non obligat sub peccato. Sic v. g. religiosus transgrediens regulam sui ordinis, non sub peccato impositam, puta regulam silentii,

censetur committere imperfectionem, nisi id faciat ex aliqua causa justa.

2º. Circa moralitatem imperfectionum hoc statui posse opinamur: imperfectio, etiam deliberate omnino commissa, Deo quidem minus grata est, sed per se peccatum non est, cum per se non sit transgressio *legis*. Attamen *deliberate* committens imperfectionem sat facile *per accidens* peccare potest, puta ratione finis aut affectus inordinati sensualitatis, impatientiae, pigritiae etc., vel ratione scandali inde aliis orituri, vel aliquando etiam ratione contemptus etc. Fideles autem Dei famuli titulum sufficientem imperfectiones pro posse evitandi inveniunt in eo, quod sciant eas esse Deo minus acceptas.

3º. Sensus verborum: *pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentias meis* sic exponi posse videtur cum Patre Roothaan in notis ad librum: Exercitia S. Ignatii:

a) per *peccata* intelliguntur culpae proprie dictae sive graves sint sive leves;

b) per *offensiones* intelliguntur culpae minus proprie dictae seu involuntariae, in quas scil. *offendere* fragilitatem nostram in tot tamque variis vitae hujus casibus primum est, ferme ut per viam salebrosam incedenti frequenter offendere seu impingere vel nolenti accidit. Et tamen, cautius incedendo, offensiones hujusmodi minuere Dei famulo oportet; postulatur enim a nobis, ut solliciti ambulemus cum Domino Deo nostro;

c) per *negligentias* intelliguntur eae culpae improprie dictae, quae ad rationem quidem peccati omissionis non pertingunt, sed in actiones nostras irrepare easque, sin minus vitiare omnino, tamen imperfectas minusque acceptas Deo reddere solent. Suntque profecto innumerae,

sive intentionis *puritatem* spectes, sive *modos* omnes, quibus actiones nostras ornari ac perfici in Dei conspectu decet pro mensura luminis et gratiae nobis a Domino communicatae.

CAPUT SECUNDUM.

De peccato commissionis et omissionis.

62) Circa peccata commissionis et omissionis, quarum definitionem vide supra n^o. 36, haec speciatim notanda sunt:

1^o. Peccata commissionis et omissionis ordinarie sunt diversae speciei, quia ordinarie repugnant diversis virtutibus vel eidem virtuti sub diversa ratione etc.

Caeteris autem paribus, peccata commissionis graviora sunt quam peccata omissionis v. g. Deum odisse quam actum charitatis non elicere; positiva enim actio ex natura sua denotat firmorem animi determinationem majoremque a bono aversionem quam simplex omissione. Cfr. Bouv., p. 56.

2^o. Quantum ad actus, qui omissionem concomitantur v. g. studere, ambulare, ludere dum omittitur Sacrum in die Dominica, sic statui potest: Vel actus isti concomitantes sunt secundum se boni aut indifferentes, vel sunt secundum se jam mali.

Si *primum* actus isti non fiunt peccaminosi propter omissionem, excepto tantum casu, quo sint omissionis causa, nam tunc induunt malitiam omissionis, sicut quaelibet causa culpabiliter posita induit malitiam effectus praevisi.

Unde si lusus est *causa* omissionis Sacri, etiam hujus omissionis malitiam contrahit. Adverte tamen, malitiam lusus in casu non esse diversam ab omissione, et hinc pro confessione sufficere, ipsam tantum omissionem declarare.

Si secundum, actus isti, quamvis propriam malitiam habentes, v. g. sermones dishonesti, inebratio etc., tamen non induunt malitiam omissionis, nisi sint ejus causa. Unde de iis actibus hic idem resolvendum est quod de actibus secundum se bonis aut indifferentibus. Pro confessione tamen notetur, eos actus, si propria eorum malitia gravis sit, exponi debere, seorsim ab omissione; quin vero necesse sit eos fuisse causam omissionis. Cfr. Ligorio, n^o. 9.

3^o. Quoad tempus, a quo causam omissionis ponens ejusdem malitiam contrahit, dicendum: eum malitiam omissionis contrahere ab ipso momento, quo culpabiliter causam ponit aut ponendi voluntatem habet; adeo quidem ut malitiae omissionis vere reus sit eamque, si gravis est, confiteri debeat, etiamsi omissio postea ob mutatam voluntatem non sequatur. Haec autem latius exposita sunt in Tract. de Act. Hum. n^o. 38.

CAPUT TERTIUM.

De peccatis in S. Spiritum.

63) Quae et quot sunt peccata in S. Spiritum?

Resp. ad 1^{um}. Peccata in S. Spiritum ea sunt, quibus homo malitiose impedit et a se repellit media, quae ipsum a peccato retrahere et ad emendationem adducere possunt. Media autem ista effectus sunt S. Spiritus (Sanctificatoris) et propterea peccata, quibus illa media malitiose repelluntur, merito dicuntur peccata in S. Spiritum. Cfr. S. Thom. 2^{da} 2^{dae} Quaest. 14, Art. 1—4.

Resp. ad 2^{um}. Quum media quibus homo a peccato retrahitur et ad justificationem disponitur praecipue sint: a) auxilium interioris gratiae; b) fides sive humilis veri-

tatum fidei agnitus; *c)* timor, qui oritur ex consideratione divinae justitiae peccata punientis; *d)* spes quae oritur ex consideratione divinae misericordiae peccata remittentis; *e)* vera poenitentia (Conc. Trid. Sess. VI cap. 6 de justificatione), hisce autem mediis ex adverso opponantur sex determinatae peccatorum species; hinc communiter a theologis enumerantur sex peccata in S. Spiritum, videlicet: *praesumptio, desperatio, agnitae veritatis impugnatio, fraternae charitatis (gratiae) inadvertia, obstinatio, impenitentia.*

Praesumptio malitiose excludit timorem divinae justitiae, et hominem, in misericordia divina temerarie confidentem, reddit audacem in peccando.

Desperatio malitiose excludit spem impetrandi peccatorum veniam a Deo ac salutem aeternam.

Agnitae veritatis impugnatio malitiose excludit fidem et tunc locum habet quando quis veritatem fidei sufficienter manifestatam studiose oppugnat non ex ignorantia sed ex liberata malitia.

Sic peccarunt Pharisei, contra suam conscientiam impugnantes doctrinam Evangelii.

Fraternae charitatis inadvertia malitiose repellit auxilium interioris gratiae; frustra enim, ut monet S. Ambrosius, opem misericordiae coelestis exspectas, si alienae virtutis fructibus invideas; aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suae potestatis avertit. In eo autem consistit haec inadvertia, quod aliquis doleat ac tristetur graviter de gratia donisque Dei existentibus in proximo aut crescentibus in mundo; quod vitium proprium est satanae, cuius filii erant judaei, qui gratiae inadvertebant gentium. Huc etiam spectat *Schisma*, per quod, ut notat S. Thomas l. c.

Art. 2, invidetur fraternae gratiae, per quam membra Ecclesiae uniuntur.

Tandem vera poenitentia malitiose excluditur *a) per obstinationem*, quae tunc contingit, quando quis ita obduratest in malo, ut nulla ratione sive monitione sive increpatione etc. animum a pravo proposito avelli sinat, et *b) per impenitentiam finalem*, qua quis insuper statuit se nolle *umquam* poenitentiam agere.

CAPUT QUARTUM.

De peccatis capitalibus.

64) *Praenotanda.* Peccata capitalia, sic dicta, quia, praesertim ubi in vitia abierunt, reliquorum peccatorum agmen post se trahunt, et ideo a S. Gregorio recte comparantur ducibus exercituum, septem solent assignari: *superbia*, ceterorum quasi domina ac regina, quae est primum oriens in regula et ultimum moriens, *avaritia*, *luxuria*, *gula*, *invidia*, *ira*, *acedia*.

Fundamentum hujus numeri septenarii hoc modo cum S. Bonaventura concipere licebit: omnis peccans inordinate desiderat aliquod bonum creatum, quod ita desiderandum non est, vel fugit inordinate aliquod boni creati impedimentum, quod non est fugiendum. Jam vero

a) bonum creatum, quod quis inordinate desiderat est: vel *propria excellentia* et inde superbia: vel *possessio divitiarum* et inde avaritia; vel *sensualis voluptas* et inde luxuria et gula. Cfr. 1 Joann. II : 16, ubi hisce convenienter docet Apostolus: „*omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae;*”

b) impedimentum vero, quod quis inordinate fugit est: vel *bonum proximi*, quatenus illud consideratur tanquam boni proprii diminutivum et inde invidia; vel *injuria* ab alio nobis illata, et inde ira; vel tandem *difficultas* et *molestia* quae cum expletione officiorum conjuncta est, et inde acedia.

His praenotatis, septem peccata capitalia singillatim examinabimus, assignando simul remedia contra illa adhibenda, et virtutes iisdem oppositas. Vix autem opus erit animadvertere, quam necesse sit accuratam horum omnium habere notitiam, tum ut nobismetipsis praecavere, tum ut munus confessarii qua medici rite exercere valeamus.

Etenim, cum peccata capitalia aliorum sint fontes ac causae, ab eorum recta intelligentia et adaptata medicina, ut plurimum, etiam pendet reliquorum vitiorum curatio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUPERBIA.

Notio, divisio et malitia, filiae, remedia et virtus opposita.

65) *Notio.* Superbia juxta Angelicum 2^{da} 2^{dae} Quaest. 2, Art. 1, ita nominatur ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod est; qui enim vult supergredi id quod est, superbus est. Definiri autem solet superbia cum Angelico l. c. *inordinatus appetitus propriae excellentiae*. Ex qua definitione patet, superbiae essentiam non consistere in simplici appetitu excellentiae, nam appetere excellentiam secundum se est indifferens, immo honestum, si fiat debito modo ac fine ad promovendam gloriam Dei, ad satisfaciendum officio suo, ad procurandam salutem

proximi etc.; sed solummodo in propriae excellentiae appetitu inordinato, qui tunc habetur quando appetitus dirigitur et quiescit in immoderata complacentia propria cuius plura exhibentur signa apud Bouvier, p. 58.

66) *Divisio et malitia.* Superbia duplex est:

1^o. Superbia *perfecta* aut consummata, quando adeo se extollit homo, ut Deo, superioribus eorumque legibus subjici renuat, uti contingit in contemptu formalis legis aut legislatoris qua talis, qui contemptus ideo recte dicitur peccatum superbiae consummatum. Et haec superbia perfecta est peccatum mortale, ut patet tum ex Scriptura, proverb. VIII : 13: „*arrogantium et superbiam detestor;*” tum ex ratione: quia talis superbia speciali modo Dei honori, majestati et infinitae excellentiae repugnat.

2^o. Superbia *imperfecta*, quae, salva debita subjectione, sistit in nimia sui ipsius aestimatione et complacentia. Et haec superbia imperfecta de se est tantum peccatum veniale; quia sine Dei aliorumque despectione plus justo se efferre, non est gravis deordinatio. Per accidens tamen gravis fieret, si accederet malitia gravis contra aliam virtutem e. g. charitatem etc.

67) *Filiae.* Superbiae filiae sunt:

1^o. *Praesumptio*, quae hic sumitur, non prout virtuti spei, sed prout humilitati opponitur et consistit in appetitu inordinato aliquid aggrediendi supra vires. Est de se peccatum veniale; nisi tamen quis praesumat aliquid unde Deo gravis injuria aut proximo grave damnum infertur v. g. si quis absque peritia debita praesumeret officium pastoris, medici etc. in se suscipere.

2^o. *Ambitio*, quae et inordinata cupiditas honoris, dignitatis et potentiae. Est de se veniale peccatum; fit autem

per accidens mortale vel ratione materiae ex qua, vel ratione medii, per quod honor quaeritur, vel ratione damni, quod proximo infertur.

3º. *Vana gloria*, quae est inordinata cupiditas aestimationis et laudis. Est per se veniale, et fit mortale per accidens ut dictum est de ambitione. Ad vanam gloriam reduci potest: *a) jactantia* cum quis se extollit verbis; *b) ostentatio* cum quis se extollit factis v. g. vestium ornatu; *c) hypocrisis* cum quis se extollit per simulatam virtutem; quae quidem omnia de se venialia sunt.

NOTA. Resolutiones hic traditae de quantitate malitia in superbia ejusque filiis et deinceps tradendae de quantitate malitia in ceteris peccatis capitalibus non sunt nisi deductiones ex principiis supra n°. 78—83 traditis.

68) *Remedia*. Cfr. Bouvier, p. 60.

69) *Virtus opposita*. Superbiae ex adverso opponitur humilitas, ad quam virtutem pertinet 1º judicium intellectus, quo quis agnoscit se merum esse nihilum sequere omnia a Deo accepisse. Et hoc judicium intellectus est conditio necessaria ad humilitatem, quamvis in eo nondum essentialiter consistat virtus humilitatis; 2º affectus voluntatis, quo quis ex tali sui ipsius cognitione semetipsum despicit et reverenter submittit Deo et ceteris hominibus propter Deum. Et in hoc affectu voluntatis proprie consistit essentia humilitatis quae proinde recte definiri potest: virtus moralis qua homo ex vera sui cognitione sibi vilescit seseque subjicit Deo et aliis hominibus propter Deum. Cfr. S. Thom. 2^{da} 2^{iae} Quaest. 161; Art. 6, ubi natura humilitatis sic paulo latius exponitur: „humilitas essentialiter consistit in appetitu, secundum quod aliquis refraenat impetum animi sui ne inordinate

tendat in magna; sed regulam habet in cognitione ut scil. aliquis non se existimet esse supra id quod est: et utriusque principium et radix est reverentia quam quis habet ad Deum (et ad proximum propter Deum). Ex interiori autem dispositione humilitatis procedunt quae-dam exteriora signa in verbis et factis et gestibus, quibus id, quod intrinsecus latet, manifestatur; sicut et in ceteris virtutibus accidit."

Tres humilitatis gradus assignantur, nimirum: *a)* sese subjicere majori et se non praeferre aequali; et hic gradus solus est praceptor ac proinde per se sufficiens; *b)* sese subjicere aequali et se non praeferre inferiori; et hic gradus dicitur perfectior, sed non de se praceptor; *c)* sese subjicere etiam inferiori. Et in hoc gradu consistit humili-tatis perfectio.

Ast, inquieris, si humilitas, sicut alia virtus quaecumque, in parte veritatis collocanda sit, ut ait S. Augustinus, et non in parte falsitatis; qua igitur ratione aliquis secundum veritatem se subjicere potest inferiori, dicendo v. g. se omnibus viliorem esse?

Resp. Potest quis absque falsitate se omnibus viliorem habere, vel secundum defectus occultos, quos in se agnoscit et dona quae in aliis latent aut aliis conferenda sunt, vel quatenus, si aliis datae fuissent gratiae, quae datae sunt nobis, melius fuissent gratiis coöperati; vel etiam hoc sensu quod omnia peccata, quae ab aliis committi videmus, ipsi nos facile committeremus, nisi Deus nos custodiret; nullum enim, inquit S. Augustinus, est pec-catum quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo. De modo dirigendi semetipsum in via humilitatis, quae (qua remo-

vens prohibens) totius vitae spiritualis fundamentum est, vide Rodriguez, Traité de la perfection chrétienne; Lombez, paix intérieure; Scaramelli, directorium asceticum etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE AVARITIA.

70) *Notio.* Avaritia est *inordinatus appetitus bonorum temporalium* i. e. immoderatus amor, cura et sollicitudo ea acquirendi, conservandi vel augendi. Dico *immoderatus*; nam divitias possidere et appetere de se est indifferens, immo honestum, si id fiat cum debito moderamine et ex recto fine.

71) *Malitia.* Avaritia est de se peccatum veniale juxta principium, supra traditum n°. 57. Fit tamen mortale per accidens, quando quis in divitiis constitutus quasi finem ultimum, adeo ut ad eas acquireendas etc. actualiter paratus sit adhibere media graviter illicita. Non rare etiam erit mortale peccatum ratione periculi proximi incidendi in mortale. Cfr. Bouvier, p. 60 et 61.

NOTA. Contrarium avaritiae vitium est *prodigalitas*, quae consistit in defectu conservandi, vel in excessu erogandi bona temporalia. Haec prodigalitas etiam de se peccatum veniale est, quamvis levius avaritia; immo et mortale fieri potest, quando prodigus suis pauperiem creat vel se reddit impotentem ad debita solvenda.

72) *Remedii.* Cfr. Bouvier, p. 61. *Filiae* cfr. ibidem.

73) *Virtus opposita.* Avaritiae ex adverso opponitur virtus *liberalitatis*; quae definiri potest: virtus inclinans ad ordinatae largiendum aliis bona temporalia. Hujus virtutis conditiones sic recensentur apud Scavini Tom II, p. 482:

ad rite exercendam virtutem liberalitatis necesse est: 1^o ut largitiones fiant ex causa honestatis aut benevolentiae, non vero ex causa proprii lucri; 2^o ut fiant juxta largientis facultatem, nam liberalitas media stat inter avaritiam et prodigalitatem; 3^o ut fiant secundum ordinem, attendendo scil. personas quibus dantur, quantum, et quo tempore; 4^o ut fiant libere et hilariter.

De *luxuria* vide Tract. de 6^o et 9^o Decalogi praecepto.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INVIDIA.

74) *Notio.* Invidia, sic vocata, quia invidus est quasi non videre valens bonum alterius, est: *tristitia de bono proximi, quatenus illud aestimatur ab invido tamquam malum proprium seu tanquam boni proprii diminutivum.* Oritur hoc vitium ex superbia; nam qui inordinate quaerit excellentiam propriam, eo ipso facile invidebit excellentiae alienae, qua putat minui propriam. Bene tamen notandum est, non quamlibet tristitiam de bono proximi consti tuere invidiam; sed, ut patet ex definitione, eam solam, qua dolemus de bono proximi, aestimato tanquam malo proprio.

Unde invidia differt ab illa tristitia de bonis proximi, quae dicitur *aemulatio* vel *indignatio* vel *odium* vel *legitimus timor*, quorum omnium descriptio reperitur apud Bouvier, p. 62. Ad invidiam autem revocatur: gaudium de malo proximi, quatenus illud aestimatur ab invido tanquam bonum proprium.

75) *Malitia.* Invidia est peccatum ex genere suo mor-

tale, quia directe est contra charitatem proximi et insuper quamdam importat reprobationem providentiae divinae, omnia bona juxta beneplacitum distribuentis. Quare Apostolus Gal. V : 21: peccatum invidiae ponit in eorum classe, quae christianum excludunt a regno Dei. Saepe tamen invidia erit veniale per accidens (vide supra n^o. 58), videlicet vel 1^o ob imperfectionem actus i. e. ob defec-
tum plenae advertentiae aut pleni consensus; quidam enim homines naturaliter proni sunt in invidiam et tam facile in invidiam commoti, ut saepe hujusmodi motibus torqueantur antequam plene advertant; quod quidem, ut notat S. Thomas, etiam contingit viris perfectis; vel 2^o ob parvitatem materiae, puta si quis alteri invidet bonum parvi momenti. Unde gravitas peccati invidiae, quantum ad ejus materiam, mensuranda est ex magnitudine boni quod invidetur; et hinc gravissima invidiae species est peccatum, quod vocatur fraternalae charitatis seu gratiae invidentia.

Peccato invidiae frequentius peccare solent: *a)* ambitiosi, et illi qui ex aliqua re quaerunt gloriam, quam cum in eo ponant quod in ea re sint soli ac singulares, dolent ac tristantur si alii accedant; *b)* pusillanimes, quibus, cum omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui suum. Sic mulieres facile apprehendunt ac dolent se superari bono alterius v. g. vestium ornatu, formositate etc.; *c)* senes respectu juvenum et quicumque aliiquid difficulter obtinuerunt quod alii facile consequuntur.

76) *Filiae et remedia.* Cfr. Bouvier, p. 62.

77) *Virtus opposita.* Invidiae ex adverso opponitur conformitas voluntatis nostrae cum voluntate Dei, et benigna charitas seu virtus benigntatis, quae definiri potest: virtus

moralis inclinans voluntatem ut proximo bonum velimus et exoptemus. Unde benignus gaudet de bono proximi quod invidus destructum optat vel non destructum dolet.

ARTICULUS QUARTUS.

DE GULA.

78) Praenot. 1º. Gula est *inordinatus appetitus cibi ac potus*, et committi solet quinque modis, hoc versiculo expressis: *praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose*; i. e. si edas aut bibas ante tempus congruum, si pro statu tuo nimis pretiosa, si plus justo, si cum nimia aviditate, si pro statu tuo nimis accurate et sapide praeparata. Cfr. Bouv., p. 64, ubi etiam advertite resolutionem de perceptione delectationis in cibo ac potu: licitum nempe esse edere et bibere cum delectatione, ita ut delectatio causa sit concomitans; illicitum vero esse et peccatum veniale edere et bibere unice propter delectationem, ita ut delectatio seu saporis voluptas sit causa finalis; natura enim annexuit comeditioni et potui delectationem tanquam medium, quo alliceremur ad sumendam necessariam vitae sustentationem, non vero tanquam finem. Unde damnata est ab Innocentio XI haec propositio: „*Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*”

Praenot. 2º. Gula dividitur in crapulam seu comeditionem et ebrietatem. Illa in excessu cibi aut potus non inebriativi, haec in excessu potus inebriativi consistit. His praemissis, de utraque specie gulæ singillatim dicemus.

§ 1. *De comedassione.*

79) *Notio et malitia.* Crapula est *inordinatus appetitus seu excessus in cibo et potu non inebriativo*, et committitur quinque modis supra assignatis. Est autem crapula peccatum per se veniale (juxta supra tradita n°. 57); et hinc merito dicit S. Augustinus: „*quoties aliquis in cibo vel potu (non inebriativo) plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit.*” Non raro tamen ac multipli-citer crapula fieri potest mortaliter mala et praecipue qui-dem: 1º ratione gravis nocimenti vel *corporis*, si nempe quis exinde sanitati grave detrimentum affert, vel *animae* e. g. si quis praevidet se exinde conjectum iri in pericu-lum proximum peccandi luxuriose; 2º. ratione *impotentiae servandi* graves obligationes suas v. g. alendi familiam etc.; 3º ratione *praecepti specialis* sive *positivi*, ut frangere jejunium, sive *naturalis*, ut vesci carne humana aut bibere sanguinem humanum. Hoc enim graviter repugnare videtur tum pietati ac reverentiae defunctis debitae, tum ipsi instinctui naturae rationalis. Excusari tamen poterit, si id fiat ex necessitate v. g. in extrema fame, vel si sumantur medicamenta ex carne vel sanguine humano praeparata; 4º ratione tanti *affectus*, ut tota cura in cultu ventris ponatur, sicut contingit illis, de quibus scribit Apostolus ad Philipp. III : 19: „*quorum Deus venter est;*” 5º ratione *excessus enormis*, de quo ita scribit Ligorio l. c., comedere et bibere usque ad vomitum, pro-babile est, tantum esse veniale ex genere suo (contra Bouv. l. c.), qui autem sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum edant et bibant, vix excusantur a mortali; hoc

enim videtur involvere magnam difformitatem, ut opinantur prohabiliter quidam auctores ibidem citati.

Quaeritur: *quantum cibi vel potus sumere liceat?*

Resp. Certa regula illud definiri nequit, cum hac in re ratio habenda sit tum diversae complexionis, tum laborum quos diversi sustinent, tum etiam aliquatenus saltem, finis honesti (v. g. hospitalitatis) qui intenditur. Generatim autem sic statui potest cum S. Antonino: Tantum potest quis comedere et bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem suam et ad executionem eorum, quae sibi incumbunt agenda: ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu faciat finem.

80) *Filiae et remedia.* Circa haec vide infra dicenda de filiis et remediis ebrietatis.

81) *Virtus opposita.* Crapulæ ex adverso opponitur virtus abstinentiae, quæ est ea pars virtutis temperantiae, qua homo moderatur in appetitu cibi aut potus non inebriativi. Cfr. Sacramelli, Tom III.

§ 2. *De ebrietate.*

82) *Notio.* Ebrietas est *inordinatus appetitus sive excessus in potu inebriativo usque ad violentam privationem usus rationis.* Unde essentia hujus peccati in eo sita est, quod quis sciens ac volens se privet usu rationis *non simpliciter seu modo naturali*, uti contingit per somnum, in quo sensus naturaliter conspiuntur facileque negotio eorum usus homini, tantisper excitato, restituitur, sed *violenter seu modo innaturali*, quo nimirum potator ultro se assimilet jumentis insipientibus, imaginem Dei in se deturpet, seseque privet ipsa potentia expedita utendi ratione ad omnem subitam necessitatem.

83) *Divisio.* Ebrietas dividitur in *perfectam* et *imperfectam*, prout hominem plene vel non plene privet rationis usu. Ad discernendum autem utrum ebrietas perfecta vel imperfecta sit, inservire poterunt haec indicia:

Signa ebrietatis *perfectae*: 1º Si quis non potest amplius discernere inter bonum et malum. 2º Si post ebrietatem ignorat, quid fecerit aut dixerit, ubi fuerit, quomodo domum redierit. 3º Si in ebrietate talia dicit aut facit, quae nunquam alias sana mente dicere aut facere solet v. g. absurdia ac turpia proferre, familiam omnino perturbare, uxorem verberare etc. E contra signa ebrietatis *nondum perfectae* sunt: 1º Si quis post potum adhuc discernere potest inter bonum et malum, quamvis phantasia aliquatenus turbata sit aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplia vel domus girare videatur. Cfr. Ligorio, n°. 78. 2º Addit Lacroix apud Ligorio, n°. 75, ebrietatem etiam non esse perfectam si tantum privet usu rationis per tempus *modicum*. Dicit tamen spatium unius horae esse tempus longum.

NOTA. Ridiculum sane et viris doctis indignum esse videtur, quod pauci olim affirmarunt: eum, qui ebrietate velut sepultus jacet in platea, si signum possit dare ut currus divertat vel se submoveat ne currus super se transeat, perfecte ebrium non esse. Nonne et brutum hoc facere potest? quo ergo rationis usu a bruto differt talis homo?

84) *Malitia.* Ebrietas perfecta est peccatum mortale ut probat Auctor p. 64. Attamen a gravi hac malitia excusari poterunt ob imperfectionem actus: 1º illi, qui prudenter judicarunt, sese adhuc haustulum facere posse absque noxa, modo contrarium antea non sint experti;

et 2º illi, qui ignorantes generositatem liquoris fortis aut vini, ideoque periculum ebrietatis non praevidentes, tali potu tamen omnino perturbantur, quum v. g. in aere exeant. E contra nullo modo a mortali excusari debent, qui tantam sumunt potus portionem, quantam advertant aptam esse ad perfectam ebrietatem, licet forte, antequam sensibus destituantur, somno se committant, ut ita effectum potus effugiant; nam potio ista de se intrinsece grave malum est. Cfr. Ligorio, n°. 78, et hic observari meretur cum Collet, *de Pecc.* cap. IV, ebrietatem, licet de se jam graviter mala sit, majori dignam tamen esse vituperio: 1º in puellis et mulieribus, quas ebrietas majori exponit periculo dissolute ac luxuriose vivendi; 2º in iis, quibus aliorum cura incumbit, quales sunt patresfamilias etc.; 3º in iis, qui ad continentiam obligantur, et praesertim in clericis. Unde Apostolus tam expresse voluit Episcopum non vinolentum, Diaconos non multo vino deditos; et S. Mater Ecclesia tam serio hortatur adepturos officium Subdiaconatus: „amodo sobrii.”

Ebrietas *imperfecta* per' se est veniale (supra n°. 57), aliunde tamen fieri potest mortale ratione scandali, periculi etc.

85) *Quaesita* *huc spectantia.*

Quaeritur 1º: an liceat ex praescripto medicorum sumere potum inebriantem, quando talis potus censemur absolute necessarius ad curandum morbum mortalem?

Resp. Merito defenditur, hoc licitum esse, si potus iste directe sumatur ad morbum expellendum et ebrietas secutura non intendatur, sed solum permittatur. Etenim in casu supposito sumptio potus (quae est de se indifferens) habet duos effectus, unum bonum (curationem morbi), alterum malum (ebrietatem), effectus autem bonus inten-

ditur et aequae immediate sequitur ac effectus malus, qui tantum permittitur, et per effectum bonum compensatur. Unde applicari hic poterit resolutio ex Tract. de Act. Hum. n^o. 34 sub littera *b*: licitum est ponere causam, intendendo effectum bonum et permittendo effectum malum, si causa indifferens aequae immediate ac effectum malum effectum bonum producit, qui malo praeponderat vel saltem malum compensat. Cfr. Lig. n^o. 76.

Quaeritur 2^o: an liceat sumere potum inebriantem ad sensus sopiendos, ne sentiantur cruciatus v. g. in operatione chirurgica?

Resp. Defendimus cum S. Ligorio l. c. contra alios, illud illicitum esse; nam in hoc casu effectus malus (ebrietas) praecedit effectui bono, qui proinde ex malo sequitur. Unde hic applicanda videtur resolutio ex Tract. de Act. Hum l. c. littera *a*: tenemur non ponere causam, si effectus malus praecedit effectui bono, qui proinde ex malo sequitur; non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.

NOTA. Non est tamen damnanda, ut inquit Gury, praxis medicorum, qui opium adhibent ad sensus sopiendos, cum primaria virtus opii soporifera sit, non ebrians. Atque idem dicendum videtur de aethere, aspiratione hausto.

Quaeritur 3^o: an liceat se inebriare ad evitandam mortem, ab aliis intentam, nisi bibatur?

Resp. Negandum videtur ob rationem, in solutione quaestioneis secundae allatam. Inveniuntur quidem auctores, contrarium defendantes, uti videre est apud Ligorio n^o. 76, ubi S. Auctor, sententia contraria relata, quin eam probabilem dicat, unice sententiam nostram negantem vocat *probabiliorum*. Observate autem, quod, cum S. Ligorio aliquam sententiam simpliciter refert et unice oppositam

dicit probabilorem, non intendat sententiam simpliciter prolatam dicere probabilem.

Quaeritur 4^o: an imputentur ad culpam mala, in perfecta ebrietate facta?

Resp. 1^o. *Negative*, si ne in confuso quidem praevisa sint; quia mala ista tunc nullo modo sunt voluntaria.

2^o. *Affirmative*, saltem quoad *mala operis* v. g. vulnerationes, fornicationes etc., si praevisa et per consequens indirecte voluntaria fuerint. Cfr. de Act. Hum. n^o. 33. Ad quantam autem culpam mala haec indirecte voluntaria, si de se sint gravia, imputari debeant, an scilicet ad culpam gravem vel levem, quaestio est cuius solutio facile deducitur ex principio tradito in tract. de Act. Hum. n^o. 34.

Diximus in responsione 2^{da}: *saltem quoad mala operis*; nam *quoad mala oris*, qualia sunt verba contumeliae, maledictionis etc., sic distinguendum est: a) vel mala ista oris respiciunt solummodo homines, et tunc probabiliter excusari poterunt a culpa; eo quod talia verba, ab ebrio prolati, ab audientibus non soleant accipi tanquam contumeliosa, maledictoria aut detractoria, nisi forte proferretur aliquod delictum particulare; b) vel mala ista oris respiciunt Deum, qualia sunt blasphemiae, et tunc a culpa non excusanda videntur; quia ejusmodi verba, etiam materialiter prolati, modo praevisa sint, semper vergunt in diminutionem divini honoris; eaque qua talia ab audientibus accipi solere vix dubitaverim Cf. Ligorio, n^o. 78, ubi monet S. Auctor se huic sententiae magis adhaerere, quamvis oppositam (quae excusat etiam blasphemias, quasi verba, in ore ebrii nihil significantia) non audeat dicere improbabilem. Advertite autem expressionem hanc: *non audeo dicere improbabilem* ex mente S. Alphonsi idem

importare ac si diceret: de probabilitate dubito. Vide S. Ligorio, n^o. 76 in fine.

Quaeritur 5^o: an graviter peccat qui amentem inducit ad potum excessivum?

Resp. *Per se* non peccat graviter, qui amentem vel puerum ante usum rationis ad potum excessivum inducit; etenim malitia ebrietatis consistit in violenta privatione usus rationis; sed potus non privat amentem aut tales pueros usu rationis, quum eo jam antecedenter careant. Dico *per se*; nam, ut resolvit Gury, si amens post potum excessivum soleat erumpere in blasphemias et id sciat qui ad bibendum eum induxit, graviter hic peccavit contra legem naturalem; quia amens eam materialiter violat, cum huic legi in actu primo subjectus sit.

NOTA. De participatione in ebrietate aliorum, vide dicenda in Decalogo, ubi *de scandalo et coöperatione ad peccata aliena*.

86) *Filiae*. Quinque a S. Gregorio Magno filiae vel effectus ebrietatis et comessationis enumerantur scil.: 1^o *inepta laetitia*, seu vaga et immoderata hilaritas, de qua legitur Exod. XXXII : 6: „*Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere*” puta per saltationes indecentes, cantilenas plus minusve in honestas etc.; 2^o *scurrilitas*, sive studium immoderatum commovendi in aliis risum per exteriores gestus et verba jocosa aut etiam turpia: „*ubi ebrietas, inquit S. Chrysostomus, ibi diabolus, ibi turpia verba*”; et hinc Apostolus ad Ephes. V : 3 ait: „*nec nominetur in nobis . . . scurrilitas quae ad rem non pertinet*”; 3^o *multiloquium*, in quo non deërit peccatum sive irreverentiae erga superiores, sive detractionis, contumeliae, etc.; 4^o *luxuria*, ad quam omnis gula et

maxime ebrietas vehementer inflammat, uti constat ex Ephes. V : 15 : „*nolite inebriari vino, in quo est luxuria*”; ex Proverb. XX : 1: „*luxuriosa res est vinum*”; ex testimonio S. Hieronymi: „*venter cibo meroque distentus despumat in libidinem; . . . nunquam ego ebrium castum putabo*”; et tandem ex communi sententia moralistarum et medicorum; 5º *hebetudo mentis* sive stupiditas; obtundit nempe gula acumen ingenii et hominem ineptum reddit ad veritatis rerumque coelestium contemplationem, tum ad actiones quascumque in quibus aliquid ingenii aut prudentiae exigitur. Unde commune effatum: plenus venter non studet libenter. Cfr. 1 Cor. II : 14: „*animalis autem homo non percipit ea quae sunt spiritus*”; et Proverb. l. c.: „*luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens.*”

NOTA. Pravis his effectibus gulæ, quos ut plurimum concomitantur alia mala pene innumera v. g. neglectus orationis, religionis, susceptionis sacramentorum, officiorum status etc., tandem accedere solet corporis multiplex infirmitas; teste enim experientia plures occidit gula quam gladius. Cfr. Vering, *Pastorale geneeskunde*, et Macher, *Pastorale Heilkunde*, e quibus auctoribus haec pauca notare juvabit de laesione sanitatis per ebrietatem: De toestand, waarin de mensch door onmatigheid en misbruik van sterke dranken geraakt, komt het naaste bij dien eener beroerte, en zulks wel om den invloed, welken dusdanige dranken uitoefenen op de hersenen; geraakt de mensch langzamerhand meer aan het gebruik dezer dranken verslaafd, dan wordt door de gedurige overprikkeling de werking der zenuwen verstompt, de eetlust, de spijsvertering en voeding verminderen, de spierkracht en sterkte

des lichaams nemen af, de ingewanden worden aan allerlei gebreken onderhevig. Duurt deze treurige gewoonte eenigen tijd voort, dan verandert de tot nog toe ziekelijke gesteldheid in kwalen en gebreken: beving der ledematen, borstziekten, waterzucht, beroerte, kanker in de maag, vermindering der verstandelijke vermogens, dilirium tremens. Hoe jonger de dronkaard, hoe zwakker zijn lichaam is, des te spoediger en des te verschrikkelijker wrekt zich de misdaad op den overtreder; en in het algemeen vinden dronkaards van beroep, allen zonder onderscheid, vroeg of laat naar lichaam en ziel de verschrikkelijke gevolgen, welke dit misdrijf na zich sleept.

87) *Causae.* Ebrietatis causae hoc modo describuntur ab auctoribus supra citatis: Onder de oorzaken der dronkenschap mag als eene eerste en voornaamste genoemd worden de hevige neiging tot deze geestrijke prikkels, verhittende en prikkelende dranken. Vervolgens een werkeloos leven; het bezoeken van vriendenkringen, waar *des avonds* sterke dranken gedronken worden; slecht gezelschap en omgang met dronkaards; en ten laatste worden deze dranken, om hunne zinnen benevelende, verdoovende eigenschappen, als een middel gebruikt, om zich aan onaangenaamheden bijv. van een ongelukkig huwelijk, van achteruitgang in het tijdelijke, van kwellingen en gewetensangsten voor een korte tijd te onttrekken. Bij de werkende klassen vindt men soms eenige aanleiding tot dronkenschap in het gemis van genoegzaam voedende spijzen en het gevoel van vernieuwde kracht, wat door den sterken drank wordt opgewekt.

88) *Remedia.* Vitium ebrietatis non minus quam vitium luxuriae sanatu difficillimum esse apud omnes in confessio

est. De grond hiervan, zegt Vering, ligt behalve in de kracht der gewoonte, in de eigenaardige stemming des lichaams door het voortdurend gebruik der sterke dranken veroorzaakt. Quo difficilior autem sit ebriosorum sanatio, eo *majori* cura et *patientia* confessarius vel pastor miserrimos istos potatores continuo prosequetur, *frequentius* visitabit, et diligenter inquiret remedia opportuna, quorum usu gravis vitii sui vincula tandem aliquando confringere valeant. Talia remedia sunt praecipue sequentia: 1^o horror ac detestatio vitii ebrietatis. Indien men, zegt bovengenoemde schrijver, met hoop op eenig gevolg ondernemen wil eenen dronkaard van zijne gewoonte te genezen, beginne men met alle pogingen in het werk te stellen om hem een afschuw tegen zijne rampzalige gewoonte in te boezemen. Hunc in finem ebrioso persuadendum est: *a)* quam turpis sit ebrietas, qua homo comparatur ipsis jumentis insipientibus; *b)* quam funesta eaque innumera sint ebrietatis consectaria tum in ordine ad animam, tum in ordine ad corpus; *c)* quam brevis sit voluptas ex potu capta; nam mors proxime futura omnibus gulae deliciis finem imponet, iisque substituet cruciatus tam sitis quam famis sempiternos. Praeterea ad horrorem vitii sui in potatore stabiliendum, utiliter ipsi consuletur, ut sedulo memoriae commendet saepiusque etiam oretenus repeatat aliquod testimonium S. Scripturae, quo ebriosus a S. Spiritu graviter perstringitur v. g. Isaias V : 22: „vae qui potentes estis ad bibendum vinum”; 1 Cor. VI : 10: „neque ebriosi... regnum Dei possidebunt. Cfr. Proverb. XXIII : 29, Luc. XXV : 34, Rom. XII : 13, XIV : 17, Gal. VI : 21, Philipp. III : 19. 2^o Propositum, saepius v. g. singulo vespere repetitum, allaborandi serio ad vitii sui extirpa-

tionem, necnon specialis oratio ad Deum aut Beatissimam Virginem frequentius v. g. singulo mane repetita, ut per diem in proposito suo firmiter perseverare valeat idque ex amore Christi, qui cruci affixus sitim acerbissimam pro nobis passus est: „Ubi poculum bibiturus acceperis, inquit S. Joannes Climacus, memineris acetum et fel Jesu Christo in cruce oblatum.” 3º Remotio causarum de quibus supra n°. 87; et speciatim fuga occasionis proximae v. g. tabernae aut commercii potatorum, juxta monitum Spiritus S. in Proverb. XX : 24: „noli esse in conviviis potatorum.” 4º Conversatio cum honestis et probis. 5º Admodum etiam utile erit, ut ebriosus, quoties temperantiae limites excesserit, aliquam determinatam poenitentiam assumat v. g. ut aequale vel duplum illius, quod expendit, eroget pauperibus. 6º Tandem ebrioso injungendum est, ut usum potus inebriantis saltem diminuat et nonnisi determinatam quantitatem sumat; vel etiam ut, loco potus sui praedilecti e. g. liquoris fortis, moderate utatur alio potu simili v. g. vino, cerevisia.

Dicitur: ut *saltem* diminuat; nam, ut observat iterum Vering, het best proefhoudende middel is met een stellig voornemen ter verbetering het drinken plotseling na te laten (mochten hieruit soms eenige nadelige gevolgen voorkomen, zoo behoort de geneesheer te worden geraadpleegd). Dit middel, wat hier genoemd wordt het best proefhoudende, is volgens vele geestelijken van ondervinding bijna het eenigst proefhoudende voor dronkaards van beroep. En daarom, zeggen zij te recht, behoort de biechtvader aan dusdanigen dit middel dringend aan te bevelen, en, zoo het gebruik van andere middelen nutteloos is bevonden, ten laatste op te leggen.

NOTA. Dantur etiam remedia quaedam physica contra ebrietatem, quae quidem remedia, licet raro sint tam efficacia ut infirmitatem omnino tollant, ordinarie tamen saporem potus *ad tempus saltem* minuunt. Horum itaque remediorum usus ad hoc praesertim utilis esse poterit, ut ebriosus eo tempore quo potus minus sapit, propositum se emendandi magis magisque confirmet. Assignatio autem hujusmodi remediorum magis pertinet ad medicos quam ad pastores aut confessarios. Cfr. Descuret, Medicine des passions, p. 198 seq.

89) *Virtus opposita.* Ebrietati ex adverso opponitur sobrietas, quae est ea pars virtutis temperantiae, qua homo recte moderatur in usu et appetitu potus inebriativi. Cfr. Scaramelli, Tom. III.

Observatio practica ex theologia Mechlinensi: quando poenitens confitetur: frequentando tabernas saepius fui ebrios; speciatim attendet confessarius: 1^o an haec occasio modo habenda sit proxima sive ratione ipsius tabernaे sive ratione circumstantiae specialis v. g. consortii potatorum, lusus chartarum, et si ita; 2^o an adsit justa causa in occasione ista permanendi. Quod non adsit justa causa, frequentatio occasionis, in quantum proxima est, interdici nec absolutio dari debet, nisi poenitens firmiter statuat hujusmodi occasionem relinquere; si autem adsit justa causa cum spe emendationis, tunc tentari potest, ut occasio fiat remota per usum remediorum, quae superius assignata sunt.

ARTICULUS QUINTUS.

DE IRA.

90) *Notio.* Ira (cujus habitus vocatur iracundia) est *inordinatus appetitus vindictae vel quasi-vindictae.*

Dicitur 1º: *inordinatus appetitus vindictae*, quia fieri potest, ut vindicta juxta ordinem appetatur cum debito moderamine et ex justo fine v. g. ad propulsandum malum a nobis vel ab aliis nostrae curae commissis, et tunc ira non est peccaminosa. Dupliciter autem, ut docet S. Thomas 2^{ae} 2^{dae} Quaest. 158, Art. 3, vindicta appeti potest inordinate, nimirum: a) *ex parte objecti*: si quis appetit vindictam ei qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam absque debita auctoritate, vel etiam si appetit vindictam de se quidem justam *non qua talem* sed *qua mere satiativam animae suae malevolae* v. g. odii personae; b) *ex parte modi*: si quis juste appetens vindictam, nimis animo agitatur vel nimis vehementer exterius irae suae signa manifestat.

Dicitur 2º: *vel quasi-vindictae*, quia dum modo irascitur in res inanimatas v. g. artifex ex ira frangit aut proicit instrumentum, non est proprie vindicta et tamen est ira.

91) *Malitia.* Appetitus vindictae inordinatus *ex parte objecti* est peccatum mortale ex genere suo, quum opponatur legibus graviter obligantibus charitatis et justitiae. Appetitus vindictae inordinatus *ex parte modi* de se est peccatum veniale juxta principium n°. 81, et idem dicendum de appetitu *quasi-vindictae*, qui est etiam tantum excessus in re indifferenti.

Observatio practica. Facile resolves ex dictis, quid agendum sit confessario, ubi poenitens in genere confitetur: *iratus fui in proximum.* Inquirat nempe confessarius, utrum vehementius tantum exarserit, an etiam sese vindicare intenderit. Si *primum*, poenitens venialiter tantum peccasse plerumque censemur, nisi forte grave scandalum dedisset. Immo si moderamen non excessit ejus indignatio, vel si motus irae fuerit motus primo-primus, plane a peccato excusatur. Si *secundum*, ulterius inquiret confessarius, an vindicta intenta fuerit gravis vel levius, item an haec intentio fuerit ex deliberatione plena vel semi-plena tantum; deinde an subsecutae sint deliberatae maledictiones, blasphemiae etc.; et sic gravitas vel levitas peccati irae facile dignoscetur.

92) *Filiae.* Ira considerari potest quatenus est in corde et quatenus est in ore et quatenus procedit ad facta. Pro triplici hac consideratione irae etiam tria distinguuntur filiarum ejus genera scl.: 1^o quatenus est in corde, ira producit *indignationem* et *tumorem mentis*. *Indignatio* est inordinatus affectus sive inordinata commotio animi ex eo proveniens, quod quis reputet se indigne ab alio tractari, de se non excedit culpam venialem, imo omni prorsus culpa vacabit *indignatio*, si moderata sit et procedat ex justo rationis judicio. Tunc autem fieret graviter peccaminosa, si cresceret usque ad deliberatum odium et gravem personae contemptum. *Tumor mentis* est aestuosa quaedam affectio, qua quis morose excogitat diversas vias vindictae iisque cogitationibus animum tumefacit. Quantum peccatum sit iste tumor dijudicari debet ex quantitate vindictae quae excogitatur; 2^o quatenus est in ore, ira producit clamorem, blasphemiam, contumeliam et male-

dictionem. Clamor est alta locutio seu vociferatio, qua iratus multa inordinate et confuse effundit; communiter est peccatum veniale, nisi alia malitia gravis accedat. Blasphemia, contumelia et maledictio describentur in tractatu de Decalogo; 3º quatenus procedit ad facta, ira producit rixas, quae si modum non excedant, uti contingit in levibus pugnis, de se venialiter malae sunt, secus si provehantur ad vulnera, blasphemias etc.

Notetur autem hic cum Ligorio, n°. 83, rixas communiter peccaminosas esse ex parte incipientium, sed non semper ex parte se defendantium; generatim enim est licitum semetipsum defendere cum moderamine inculpatae tutelae, uti latius explicabitur in quinto Decalogi pracepto.

93) *Remedia.* Irae remedia huc praecipue redeunt:

a) Monet S. Franciscus Salesius: als gij bedaard zijt en buiten de gelegenheid om u te vergrammen, doe dan een grooten voorraad van zachtmoedigheid en goedertierenheid op door het beoefenen van liefdewerken jegens den evenmensch, door altoos in zulk een geest te denken, te spreken en te handelen, zoowel in de kleinste als bij de grootste aangelegenheden en zoowel ten aanzien van uzelven, als ten aanzien van vreemden, huisbedienden, vrienden en buren.

Praeterea, ut observat S. Gregorius Magnus, antequam aliquid agere incipias, attente considera omnes, quae te forte exspectant injurias easque in antecessum humiliter ac mansuete suscipias juxta exemplar et praeceptum Christi Matth. XI : 29: „*discite a me quia mitis sum et humiliis corde; et invenietis requiem animabus vestris*” (jacula praevisa minus feriunt).

b) Suadet S. Basilius, ut statim ac moveri te sentis ad iram, eam cohibere coneris (niet op eenc onstuimige wijze en met geweld, zegt Franciscus de Sales, maar op een zachte en bedaarde wijze), et si internam commotionem sedare non possis, saltem linguam cohubeas, nec unquam in aestu irae punias; sed potius te convertas ad orandum et contemplandum, quantas Christus ex amore tui passus sit injurias atrocissimas.

c) Perpendat iracundus, quot poenas gravissimas nosmetipsi quotidie sustinere deberemus, si Deus de nostris peccatis justam vellet sumere vindictam et insuper: quanta mala tam corporis quam animae procurare soleat ira ipsi irascenti, dum e contra alteri vix noceat.

d) Tandem, ut iterum monet Franciscus Salesius: als gij zult bemerken, dat gij uit gramschap een feil hebt begaan, herstel deze op staanden voet door een werk van zachtmoedigheid jegens den persoon. op wien gij u vergramd hebt; de versche wonderen zijn gemakkelijker te genezen dan de verouderde.

94) *Virtus opposita.* Irae ex adverso opponitur virtus mansuetudinis, quae appetitum vindictae moderatur juxta praescriptum rectae rationis. De hac virtute videantur scriptores vitae spiritualis; et praeterea intime nobis persuasum sit semperque maneat, virtutem hanc mansuetudinis p[re]e christianis omnibus summopere necessariam esse clericis qui legis novae (quae lex est amoris) praedicatores sunt et ministri, atque in se exprimere debent characteres magistri Christi, quos sic descriptos invenimus Matth. XII : 20 : „Ecce puer meus quem elegi . . . judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; arundinem quassatam

non confringet et linum fumigans non extinguet.” Cfr.
Conc. Trid. Sess. XIII de Reformatione cap. I et Conc.
Provinc. p. 93.

ARTICULUS SEXTUS.

DE ACEDIA.

95) *Notio et malitia.* Acedia: quae generice est *taedium animi*, latiori vel strictiori sensu accipi potest. Acedia latiori sensu est, *torpor animi in exercitio virtutis quatenus laboriosum et molestum est.* Sic autem accepta, acedia de se habet culpam venialem, nisi ex ea omitteretur aliquid, ad quod est gravis obligatio v. g. omissione sacri in Dominica. Non est tamen hujusmodi acedia peccatum speciale, sed ejusdem malitiae cum omissione aut negligentia executione, quam sufficit in confessione exprimere. Quin imo si homo, stante tali torpore, praestet, quod cum gratia divina praestare potest, ipsa acedia majoris meriti erit occasio. Acedia strictiori sensu est: *tristitia ac taedium de amicitia divina, apprehensa ut nobis mala, eo quod per virtutum exercitia laboriosa comparari aut conservari beat; unde fit ut haec amicitia non curetur.*

Sic autem intellecta, acedia est peccatum speciale et quidem mortale contra charitatem Dei; quia continet veram aversionem a Deo ut fine ultimo. Attamen, ut notat Sporer, si quis retinens voluntatem efficacem tendendi in Deum per media congrua, solum inefficaciter ab eo fine abhorret ob difficultatem operum, ideoque ea negligentius exequeretur, acedia ejus de se non esset nisi venialiter mala, quia non directe repugnat contra charitatem Dei, sed potius contra fervorem charitatis.

96) *Filiae.* Acediae mali partus sunt: odium spiritualium, pusillanimitas in aggrediendis eis quae ad Dei obsequium pertinent; desperatio de consequenda salute; indignatio adversus eos, qui hortantur ad devotum Dei famulatum; torpor in observatione praceptorum et evagatio mentis in oratione aliisque exercitiis spiritualibus. De horum omnium malitia facile judicabitis modo attendatis singulorum objecta et malos, quos producunt, effectus. Exempli loco sit casus sequens:

Titius confitetur: 1^o quod, cum nuper aegrotus esset, grave taedium habuit ad recitandam vel unicam orationem dominicam; 2^o quod sanus saepe distractus fuerit in precibus; 3^o quod aliquoties grave taedium habuerit circa aeternam beatitudinem assequendam; 4^o quod aliquando tristatus fuerit se baptisatum esse et Christum agnovisse.

Quaeritur: an et quomodo in singulis peccaverit Titius?

Resp. ad 1^{um}. Res nimis nota est, quod praesente morbo homo saepe sit *naturaliter* indispositus ad orationem cum gustu et solatio persolvendam; ideoque taedium hoc non esse peccaminosum, si tamen aegrotus conetur vincere taedium quantum moraliter potest et non negligrat absolute necessaria.

Ad 2^{um}. Distractiones in precibus involuntariae culpa carent, voluntariae sunt per se venialiter malae, nisi ita immodicae essent, ut propter eas non satisficeret pracepto graviter obliganti. Immo, ut notat Ligorio n^o. 84, distractiones etiam voluntariae vacant culpa, si quis non tam intendat orare quam verba precum recitando se pio exercitio occupare, puta dum manibus laborans psalmos aliasve preces in hunc finem cantet aut recitet.

Ad 3^{um}. Si taedium circa beatitudinem aeternam seu

finem ultimum sit inefficax ideoque simul stans cum voluntate adimplendi praecepta, non excedit culpam venialem; secus vero, si efficax fuerit, ut patet ex supra dictis de malitia acediae strictiori sensu accepta.

Ad 4^{um}. Si deliberate huic tristitiae inhaeserit, pecavit graviter, quia talis tristitia importat gravem contemptum Christi Salvatoris et medii ad salutem necessarii.

97) *Remedia*. Acediae remedia praecipue sunt: *a)* cogitatio de bonis spiritualibus et librorum sacrorum piorumque lectio; quia, ut notat S. Thomas 2^{da} 2^{dae} Quaest. 35, Art. 1, „quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo cessat acedia.” In eo quod amatur, ait S. Augustinus, aut non laboratur aut labor amatur; *b)* memoria mortis vicinae, cum qua veniet nox, quando nemo potest operari. Joan IX : 4; *c)* meditatio exempli Christi et fidelium fervidorum cum seria repetitione illius S. Augustini sententiae: „tu non poteris, quod isti et istae?” *d)* oratio jugis ac fervens; nam, ut docet Conc. Trid. Sess. VI *de justificatione* cap. XI: Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis et adjuvat ut possis; *e)* institutio vitae juxta determinatum ordinem; *qui ordine vivit, Deo vivit*; *f)* tandem meminerint languidi, quam magna sint praemia charitatis fervidae et e converso, quam gravia damna teporis juxta illud Apoc. III : 16: „utinam frigidus essem aut calidus; sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.”

97) *Virtus opposita*. Acediae ex adverso opponitur *devotion*, sive sedula pietas, quae est: firma voluntas prompte se reddendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum. Cfr. Franciscus de Sales, *Inleiding tot een godvruchtig leven.*

NOTA. Pulchra eaque ex SS. Patribus potissimum
desumpta dissertatio de peccatis capitalibus invenitur apud
Migne in cursu Theologiae completo Tom XI. Maxime
etiam hic commendari meretur opus praeclarum Ludovici
Granadensis, cui titulus: *dux peccatorum.*

um
oud
me
ici

